
This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<http://books.google.com>



...othek
...enburg



Plat 1148

RELIQVA
LIBRORVM
FRIDERICI II.
IMPERATORIS,

De arte venandi cum auibus,

CVM MANFREDI REGIS
additionibus.

Ex membranis vetustis nunc primùm editas

ALBERTVS MAGNVS
DE

Falconibus, Asturibus, & Accipitribus.



AVGVSTÆ VINDELICORVM
ad insigne pinus.

Apud Ioannem Prætorium,
Anno M D XCVI.

Cum privilegio Cesaris perpetuo.

FRIDERICVS II. IMPER.

Nos profectò, qui diuina largitione populis presidemus, generalis, qua omnes homines naturaliter scire desiderant, & specialis, qua gaudent aliqui utilitate proficere, ante suscepta nostri regiminis onera, semper à iuuentute nostra quasiuimus (scientiam) formam eius indefinenter amauimus, & in odore iuuentorum suorum semper aspirauimus indefessè. Post regni verò nostri curas assumptas, quamquam operosa frequenter negotiorum turba nos distrahat, & civili sibi ratio vendicet solitudinis nostrae partes, quidquid tamen temporis de rerum familiarium occupatione decerpimus, transire nō patimur otiosum, sed totum in lectionis exercitatione gratuitè libenter expendimus, vt anima clarius vigeat instrumentum, in acquisitione scientiae, sine qua mortalium vita non regitur liberaliter.

MAXIMO PRINCIPI
FERDINANDO CAROLI F.
AVSTRIÆ ARCHIDVCI,
Germaniæ Spei.

MVnus, Ferdinande Serenissime,
inexpectatum credo, magnitu-
dine tamen tua dignum affero.
Audacter: si fortunam cogito,
sive tuam, sive meam etiam. Verum or-
dine & ratione, si muneris intueor sive
materiam, sive artificem. Materia vena-
tio est, quam Deorum munus appellavit
Xenophon, Chironi propter iustitiam
dono concessam, ab eo inde heroibus tra-
ditam: heroibus inquam, quorum ex isto
potissimum tirocinio virtute, patria de-
fensa, miseri ubique terrarum, calamita-
tibus leuati, servati sint. Atque hoc pul-
cherrimum est venatoriæ elogium. Sed
eius genera terrâ, mariq; quodammodo,
multa iam olim, quorum hîc nullum da-
mus. Aërium damus, nec vsurpatum ve-
teribus, nec cognitum, nec omninò cogi-
tatum: aded sibi non omnia vindicat an-
tiquitas. Miraculi isthæc planissimè spe-
cies, nisi frequētior vsus, quod amat fieri,
admirationem minueret. Illud interim
omnium cōsensione convenit, hanc præ-
stare

P R Æ F A T I O.

stare venationes reliquas tanto interuallo, vt inter viros principes nulla habeatur prior, tenuioribus ad eam nec aditus pateat. Argumentum igitur te profectò dignum. Auctor, multò deinde magis: Fridericus Henrici F. Ahenobarbi N. maximus Imperator : quem virtutibus magnis, vitijs item magnis præditum fuisse, nemo tam amicus, nemo tantus hostis est, qui neget. Nunc, cum eruditionis & ingenij monumentum ad illas pertineat, vitia hoc quidẽ loco prætereamus. Delectat in B. Antonino legere, magnanimum, liberalem, magnificum, iudicio acrem, rerum ciuiliũ gnarum inter primos, prophanas litteras doctum, plerarumq; linguarum peritum fuisse, Latine puta, Græcæ, Italicæ, Gallicæ, Arabicæ: Germanica vernacula erat. Si quæ sequuntur postea, ad laudem non æquè faciunt, ea commemorare nihil necesse. Aduersus litterarum sane studia qualẽ se præbuerit, verba quæ pluscula præscripsimus, ostendunt: sunt autem ex epistola ad Bononiensem Academiam scriptâ, cum Aristotelis, & aliorum præterea philosophorum libros, ex Græcis & Arabicis Latinos suo
iussu

P R Æ F A T I O

lusu factos, eo examinandos mitteret. Commentarium etiam quem Gregorius Nyssenus de hominis natura scripsit, eius hortatu Latine redditum comperio. At quod ipse elucubrauerit, nihil superesse opinor, præter hæc reliquias, incredibili diligentia & accuratione elaboratas, ita ut eas cum cæteris rerum naturalium scriptoribus omnibus, contendere nõ verear. Quapropter, Ferdinande Princeps, rem clementiâ illâ, quæ gentis vestræ fastigio propria est, dignam feceris, cum mediocres aliorum in litteris conatus benignè fouere soleas, si fortissimi Imperatoris foetum posthumum (Manfredus enim filius, post patris demum mortem, obstetricis in eo munere functus est) placido serenôq; vultu tuendum susceperis. Illo videlicet, quo te præterito anno, cum huc animi gratia excurrisses, per urbem vehi, atq; omnibus in te defixis oculis, insipientium pectora veneratione & amore iuxta pfundere meminimus: Idq; cû tua indole tum, ne quid dissimulè, maiorum etiam tuorum recordatione. Nam innumera sunt vestra in nos beneficia, quorum memoriâ nos magnopere commoueri necesse

P R Æ F A T I O.

cesse est, neq̄ erit vlla tam sera posteritas, cuius situs illa obliuione possit tegere. Si contra huius quoq̄ vr̄bis aliquod in vos extare meritum pronunciem, leuis multorū opinione habear: Si Augustam Austriaci nominis patriam nominare pergam (in vestra quidem gente) pudorem funditus perisse propemodum omnes conclament. Sed prudentiam tuam appello, Patriæ nō nullum meritum: Patria est quæ vniuscuiusq̄ rei origo. Iam vos Habsburgij eratis, cum Rudolphus ille, inuidia fatente Magnus, salutare orbi Christiano regendo manus admouit. Is anno post Christū natum M C C. LXXXII. aut LXXXVI. (video scriptoribus parum conuenire) Augustæ Albertum filiū, qui postea imperauit, Austriæ principatu donauit: exinde quoniā Austriaci appellari cepistis, quo nominis principium referendum sit nimirum apparet. Sed hæc frustra pluribus ad te, omnis externæ, nedum domesticæ historiæ scientem. Vale ingens spes patriæ laborantis, id enim nulla blanditia iterō. Augustæ Vindel. Kal. intercalariū, Anno M D XCVI.

SALVE

SALVE BONE LECTOR.

Est quod te scire refert, priusquam ad huius libri lectionem accesseris.

Hoc primùm:

Autographum manuscriptum membraneum à V. CL. quem humanitas & doctrina iuxta amant, Ioachimo Camerario, Reip. Noribergensis Medico habuimus. Vetustate id aliquot locis corruptum erat, itaque lacunas in editione bene multas, necessariò vides. Frequentes picturas auium aliarumq; rerum præferebat, quæ hic commodè nõ potuere exprimi, nec si potuissent, videbamus quid tibi earum species magnopere esset profutura. Vnam tamen & alteram ab initio dedimus: Iuuenem nimirum Regio cultu sedentem, Manfredum credo, Friderici enim imagines barbatae extant, & nescio quos adorantium habitu, aues manibus præferentes. Capitibus, iuuandæ tantum memoriz, numeros addidimus, qui in autographo non erant; de cætero fidem eius fidè sequuti, nisi si exscriptorem fugientes aliquando litteræ sefellerunt, quod factum non factum, in nos neutiquam recipimus.

II.

De Friderico I I. Imper. qui primus libri auctor, nonnulla in præfatione diximus: Reliqua apud omnium gentium historicos obuia. Filius Manfredus nothus pleraq; adiecit, tum quæ nomen Manfredi Regis, tum quæ Regis absolutè præscriptum habent, & quædam etiam alia, si quid iudico, nullo insignia titulo: prioris sanè libri prologus vix videtur Friderico totus posse tribui. Manfredus autem, Tarenti, patre adhuc viuo princeps, Siciliæ inde Rex, à Carolo Andegauensi prælio victus, occisus est, An. Christi M C C LXVI. Collenutius narrat, corporis habitu fuisse pulcherrimū & fortissimum: Philosophiæ Aristotelicæ apprimè studiosum, & peritum: Animo magnum, munificum & liberalem, supra exempla omnium ferè Principum, vni Imperatori, quem Delicias humani generis hominum consensus appellauit, comparandum.

(:)

4

Vitia

Vitia, quod in Friderico fecimus, consultò prætereamus; nam plura quam pro bono famæ & nominis, numerari poterant.

III.

Argumentum inscriptio indicat. Quod nos hanc auium capturam veteribus incognitam fuisse diximus, verum est, si vetustissimam antiquitatem interpreteris cæteroquin, ante annos amplius M C C. notam fuisse, ex Iulio Firmico scimus, qui capite octavo quinti libri, nutritores accipitrum, falconum, cæterarumq; auium, quæ ad aucupia pertinent, nominat. Atque ea fortassis antiquissima est huius rei memoria, saltem quæ fidem mereatur. Quod de Dauco Crescentius habet, & quod Saresberinensis scripsit, Vlysses ab aliquibus eius auctores ferri, aut Machabæum, certè nugæ sunt, vti illa de Virgilio & Marcello, planissima fabula: neque etiam obscure falsa est inscriptio litterarum Aquilæ, Symachi & Theodotionis ad Ptolemæum Regem, quarum Albertus testimonio vtitur. Accuratiores alij, quæ Aristoteles, Plinius, Ælianus de Thracum accipitribus prodidere, hæc trahunt: Verum & illa longè diuersa à nostrâ fuit aucupij ratio, & longè rudior.

IV.

Operis multò maximam partem perijisse, res loquitur, & propositio atque diuisio etiam, quæ est in posterioris libri prologo. Deinde Albertus Magnus (id Germaniæ margaritum Sueuia dedit, vt esset quod omnibus Italiæ & Græciæ ingeniorum diuitijs, quantæ illæ eumque, opponeremus) Albertus inquam, libro de animalibus vigesimo tertio, pleraque ex expertis Friderici Imp. affert, quæ in his reliquijs non extant, cum eo tamen nomine opus istud designari, neutiquam videatur dubitabile. Vt desiderium ergo, quæ potest, laicemus, Albertina supposuimus, & ipsa profectò digna plurium manibus atque oculis.

V.

Impolitiam & asperitatem seripcionis, sæculum excusat,

excusat, quam rerum diligens, tam verborum negligens. Animus erat barbararum vocū glossarium addere, cum cogitatio subijt, quibus hæc vsui esse possent, illos facile omnia sua etiam sponte intellecturos, apud alios, nullam eius laboris futuram gratiam, itaque superfedere visum.

VI.

Temperare verò non potuimus, quin corollarij vicem adderemus, epigramma à Friderico Ahenobarbo lingua prouinciali Narbonensi scriptum, quæ tunc temporis elegantiz opinione florebat, eo argumento, vt quæ in quibusdam gentibus præcipuè probaret ostenderet, sic autem habet:

Plas mycauallier Francès,
E la donna Catallana.
E l'onrrar del Gynoès,
E la cour de Kastellana.
Lou kantar Provençalès.
E la dansa Triuysana.
E lou corps Aragonnes,
E la perla Iulliana.
Las mans e kara d'Anglès,
E lou danzel de Thuscana.

Et hætenus quidem litterariz eruditionis memoriz vtriusque Friderici, maximorum Imperatorum, post tot iterum sæcula parentamus. Vale.

(:) s INDEX





INDEX LIBRI PRIMI.

<i>Prologus, qua legi potuit.</i>	<i>Pag. 1.</i>
<i>Capitulam. 1. Quod ars venandi cum avibus dignior est ceteris venationibus.</i>	4
<i>Capit. 2. De divisione avium generaliter in aquaticas, terrestres & medias.</i>	8
<i>Capit. 3. De divisione avium, in rapaces & non rapaces.</i>	13
<i>Capit. 4. De aquaticis, quibus modis acquirunt suam escam, quando & quam.</i>	15
<i>Capit. 5. De exitu aquaticarum de aquis ad pascendum.</i>	18
<i>Capit. 6. De ordine exitus ipsarum ad pascendum.</i>	22
<i>Capit. 7. De reditu aquaticarum ad aquas, seu loca aquosa.</i>	23
<i>Capit. 8. De statu quem faciant in aquis, &c.</i>	24
<i>Capit. 9. De terrestribus, quibus modis acquirunt sibi escam, quando & quam. Et quare nocturne exeunt ad praedandum de nocte.</i>	26
<i>Capit. 10. De modo exitus terrestrium ad pascendum, &c.</i>	32
<i>Ca. 11. De medijs avibus, quibus modis acquirunt sibi escam.</i>	35
<i>C. 12. De diversitate ciborum quibus utuntur media aves. eadem</i>	
<i>Capit. 13. De exitu quarundam mediarum.</i>	36
<i>Capit. 14. De exitu mediarum ad pascendum, &c.</i>	37
<i>Capit. 15. De reditu mediarum & statu ipsarum, &c. eadem</i>	
<i>Capit. 16. De transitu avium.</i>	38
<i>Capit. 17. Qua aves transeunt & quando.</i>	39
<i>Capit. 18. Quare transeunt aves.</i>	41
<i>Capit. 19. De modo quem habent aves parandi se ad transitu.</i>	44
<i>Capit. 20. De tempore anni, & temporum qualitatibus, ipsarum transitui convenientibus.</i>	45
<i>Capit. 21. De ordine & transu avium, &c.</i>	47
<i>Capit. 22. De quibus locis transeunt, & ad que loca, &c. pag. 50</i>	
<i>Capit. 23. De locis ad que, transeunt, & quare.</i>	52
<i>Capit. 24. Sequitur de oculis. 59.</i>	
<i>Capit. 25. De auribus.</i>	60
<i>Capit. 26. De naribus, rostro, humeris.</i>	eadem
<i>Capit. 27. De alis. 69.</i>	<i>Capit. 28. De dorso. 74</i>
<i>Capit. 29. De lumbis. 75.</i>	<i>Capit. 30. De cauda. eadem</i>
<i>Capit. 31. De perunculo. 76</i>	<i>Capit. 32. De pectore. eadem</i>
<i>Capit. 33. De lateribus. 78</i>	<i>Capit. 34. De digitis pedum. 82</i>
	<i>Capit.</i>

I N D E X

Capit. 35. Sequitur de unguibus.	pagina 87
Capit. 36. De membris interioribus officialibus.	88
Capit. 37. De canna pulmonis. 93. Cap. 38. De pulmone. eadem	
Capit. 39. De diaphragmate.	94
Capit. 40. De Isthago (pro œsophago.)	eadem
Capit. 41. De stomacho. eadem. Capit. 42. De Epate.	95
Capit. 43. De renibus. 95. Cap. 44. De testiculis & matrice. 96	
Capit. 45. De plumagio avium generaliter, &c.	eadem
Capit. 46. De coloribus plumagiorum. 98. Cap. 47. De plumis. 102	
Capit. 48. De lanulis. 103. Capit. 49. De pennis ala. 104	
Capit. 50. De numero pennarum alarum.	109
Capit. 51. De positione maiorum pennarum.	106
Capit. 52. De numero pennarum cauda.	110
Capit. 53. De positione & forma pennarum cauda.	111
Capit. 54. De maneriebus volatum in avibus.	114
Capit. 55. De his per quae pugnant aut defendunt se aves.	127
Capit. 56. De modo defensionis.	131
Capit. 57. De mutatione plumagii, quam generaliter faciunt aves singulis annis.	133

INDEX LIBRI SECUNDI.

Prologus.	pagina 139
Capitulum 1. Quid sit avis de rapina, &c.	143
Capit. 2. Quare femina sit maior masculo.	146
Capit. 3. De combinationis ipsarum ad pullificandum.	151
Capit. 4. In quibus regionibus & locis nidificent.	352
Capit. 5. De accipitribus. 154. Capitulum 6. De ovatione. 157	
Capitulum 7. De cubatione.	pag. eadem
Capitulum 8. De plumis, lanulis & pennis.	eadem
Capitulum 9. Quomodo pascuntur à parentibus.	158
Capit. 10. Qualiter mater docet eas aucupari.	159
Capit. 11. Quomodo expellantur à parentibus, & quare. eadem	
Capit. 12. De loco quem eligunt, donec in regione morantur. 160.	
Capit. 13. Quomodo exeunt ad predandum, & ad acquiren- dam sibi escam.	161
	Capit.

INDEX.

Capit. 14. De transitu, & quare transeunt, & de modo transeundi.	pag. eadem
Capit. 15. De tempore anni & temporum qualitatibus.	162
Capit. 16. De quibus locis transeunt, & ad qua loca, quare morantur in locis ad qua transierunt, & quamdiu.	163
Capit. 17. De reditu ipsarum, & quare, de modis redeundi tempore anni, & temporum qualitatibus.	eadem
Capit. 18. De cognoscendis falconibus per formam membrorum & plumagium, comprehendens tantum formam & colorem pennarum, & de electione pulchriorum.	164
Capit. 19. De Girofalconibus.	166
Capit. 20. De plumagio girofalconum.	167
Capit. 21. De laudabiliori plumagio in girofalconibus.	168
Capit. 22. De sacris. 169.	Capit. 23. De plumagio, eadem
Capit. 24. De gentilibus peregrinis.	170
Capit. 25. De peregrinis brunis, & de subruffis & faluis, quae retrahunt ad colorem meliorem.	175
Capit. 26. De disconuenienti plumagio, & disconuenienti proportione membrorum in peregrinis.	176
Capit. 27. De falconibus gentilibus absolute.	177
Capit. 28. De Laneris.	189
Capit. 29. Dicto de forma & plumagio conuenienti austurum saurorum, & eorum qui mutati sunt; descendum est de Sperueris.	180
Capit. 30. De differentiis falconum nidasiorum & ramag.	181
Capit. 31. De modis per quos habentur falcones nidasis.	182
Capit. 32. De modo accedendi ad nidum.	184
Capit. 33. De preparatione loci in quo nutriuntur, & modo nutritionis eorum.	eadem
Capit. 34. De vicibus cibandi ipsos.	190
Capit. 35. De horis conuenientibus cibationi.	192
Capit. 36. De preparatione locorum a quibus recolligi debent falcones, postquam nutriti sunt in eis.	193
Capit. 37. De ciliatione seu bluitione ipsorum.	195
Capit. 38. De iactis, qualiter fiant, & quomodo ponendi sunt in tibis falconum.	198
	Capit.

INDEX.

Capit. 39. De longa, qualiter fiat, & ad que est utilis.	202
Capit. 40. De tornetto, qualiter factum sit, & ad quid sit utile.	204
Capit. 41. De campanella & utilitate ipsius, & modo ligandi eam.	205
Capit. 42. De modo quo portari debet super manum & forma retinendi manum.	206
Capit. 43. De modis quibus habentur falcones ramagij.	209
Capit. 44. De locis in quibus capiuntur.	212
Capit. 45. De ciliatione ipsorum.	212
Capit. 46. De modis tenendi eos & portandi super manum.	215
Capit. 47. De falconarijs quales esse debeant.	216
Capit. 48. De intentione quam habere debet falconarius, ad tenendum & mansuefaciendum.	220
Capit. 49. De modis mansuefactionum falconum ad standum super manum, & ad alia facienda ut mansuefiant.	225
Capit. 50. De sedilibus super quibus ponendi sunt falcones, postquam de manibus deponuntur.	234
Capit. 51. De diuersis iuuamentis diuersorum sedilium, & de perticis, & qualiter ligentur in ipsis.	239
Capit. 52. De inquietationibus & diuerberationibus, quas facit falco ciliatus: Et de differentijs inter inquietationem & diuerberationem.	246
Capit. 53. De mansuefactione falconum ciliatorum, ad gustum, auditum & tactum.	250
Capit. 54. De mansuefactione falconum ad visum, quando paulatim deciliari incipiunt.	253
Capit. 55. De mansuefactione falconum totaliter deciliatorum, qualiter decilantur, & quo tempore, & de ipsorum inquietationibus.	258
Capit. 56. De diuerberationibus ipsorum, & de diuerberationum modis.	265
Capit. 57. De diuerberationum causis.	273
Capit. 58. De diuerberationum signis.	275
Capit. 59. De occurrendo inquietationibus & diuerberationibus.	276
	Capit

I N D E X

- Capit. 60.** De deciliatis falconibus, qualiter ponantur ad sedendum ad perticam, & leventur ab ea, & inquietationibus & lesuris eis contingentibus in ipsa. 286
- Capit. 61.** De mansuetatione falconum deciliatorum facienda super manum in domo, & sine capello. 293
- Capit. 62.** De mansuetatione falconum facienda à pedite, super manum foris in aere libero, & inquietationibus & diuerberationibus quas faciunt in eo. 294
- Capit. 63.** Qualiter intrandum est & exeundum per portas cum falcone. pag. 265
- Capit. 64.** Ad qua loca de foris primo portandus est. 296
- Capit. 65.** Quando reportandus de foris intro. 297
- Capit. 66.** Reportatus de foris intro, acrimus inquietat & diuerberat se. pag. eadem
- Cap. 67.** De remedijs & modis remedium, scilicet tiratorio, irroratione & balneo, &c. 298
- Cap. 68.** De irroratione. 299. **Cap. 69.** De balneo. 302
- Cap. 70.** De mansuetat. falconū, facienda foris ab equite. 308
- Cap. 71.** De equite, qualis esse debeat, & que secum foras portare debeat. 310
- Cap. 72.** De portatione falconum non mansuetorum de regione in regionem. 313
- Capit. 73.** De locis. 319
- Cap. 74.** De inquietationibus & diuerberationibus, quas facit falco sup manū, sedilibus, perticis, & signis ipsarū. 322
- Cap. 75.** De remedijs faciendis contra inquietationes & diuerberationes falconum, super manum, sedilibus & perticis. 324
- Cap. 76.** De signis falconum male portatorum. 326
- Capit. 77.** De mansuetatione cum capello, à quibus gentibus capellum fuit inuentum. 330
- Capit. 78.** De capello & forma ipsius, &c. 332
- Capit. 79.** De loco in quo debet imponi capellus, &c. 335
- Capit. 80.** De inquietationibus & defensionibus, quas faciunt falcones in impositione capelli, & post impositionem ipsius, & qualiter succurratur eis. pag. 338

DIVI

DIVI AVGVSTI FRIDERICI SECVNDI

ROMANORVM IMP. HIERV-
SALEM ET SICILIAE
REGIS,

De arte venandi cum auibus,
Liber primus.

PROLOGVS PRIMI LIBRI.
quâ legi potuit.

.
& vt remouéremus errorem plurium circa præ-
sens negotium, qui sine arte habentes quæ artis
erant, in eodem negotio . . . imitando
quorundam libros mendaces & insufficienter
compositos de ipso: & vt relinqueremus po-
steris artificiosam traditionem de materia hu-
ius libri. Nos tamen, licet proposuissemus ex
multo tempore componere præsens
vlimus fere per propositum . . .
. quoniam non putabamus nos ex tunc
sufficere, neq; eramus vnquam ali-
quem præcessisse qui huius libri materiam cõ-
plere tentasset, particulæ verò aliquot ab ali-
quibus per solum vsum, sicut erant & inartifi-
cialiter traditæ; Imo multis temporibus cum
sollicitudine diligenter inquisiuimus ea quæ
huius artis erant, exercitantes nos in ea
in eadem, vt tandem sufficeremus redigere in
librum quicquid nostra experientia aut aliorũ
A didi-

2 DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

didicerat, quos quod erant experti circa . . .
 . . . huius artis, nō sine magnis dispendijs
 ad nos venientes de longinquo, vocatosq; . . .
 . . . nobiscum habuimus, denotando quicquid
 melius nouerint, eorumq; dicta & facta memo-
 riter commendando. Qui quamuis arduis &
 inexplicabilibus fere negotijs persæpe præpe-
 diti essemus, circa regnorum & imperij regi-
 mina: tamen hanc nostram intentionem præ-
 dictis negotijs non postposuimus, in scribendo
 etiam artem, vbi oportuit, secuti sumus; plu-
 ribus enim, sicut experientia didicimus, ma-
 ximorum in naturis auium

. . . Sed nos semper
 verò quæ narrat in libro animalium dicit quos-
 dam sic dixisse. Sed id quod quidam sic dixe-
 runt, nec ipse forsā vidit, nec dicentes vide-
 runt. Fides

Aliquot deinde versus legi non potuerunt.

difficilia emergunt circa negotia huius artis.
 Rogamus autem vnumquemq; nobilem . . .
 ex sola sua nobilitate . . . qui ab aliquo . . .
 . . . perito ipsum legi faciat & exponi, minus
 benedictis indulgens: nam cum ars habeat sua
 vocabula ppria, quemadmodum & ceteræ ar-
 tium, & nos non inueniremus in grammatica
 Latinorum verba conuenientia in omnibus;
 apposuiimus illa quæ magis videbantur esse
 pro-

LIBER PRIMVS.

propinqua, per quæ intelligi possit intentio nostra. Est huius ateria ars vena partium quæ theoretic in operando quæ practica nuncupatur. Rursus quædam pars de generali contemplatione tam eorum quæ spectant ad theoreticam, quam eorum quæ spectant ad practicam. Reliqua verò de speciali cōsideratione eorundem. Intentio verò nostra est manifestare in hoc libro de venatione auium, ea quæ sunt sicut sunt, & ad artis certitudinem redigere, quorum nullus habuit scientiam hætenus neq; artem. Modus agendi est profaicus, proximalis & executiuus. Executiuus verò multiplex, partim namq; diuisiuus, partim descriptiuus, partim conuenientiarum & differentiarum assignatiuus, partim caussarum inquisitiuus. Et sunt alij modi quos sequimur, vt in libro patet. Actor est vir inquisitor & sapientiæ amator, Diuus Augustus, Fredericus secundus Romanorū Imperator, Ierusalem & Siciliæ Rex. Vtilitas est magna, etenim nobiles & potentes, solliciti circa regimina mundanorū, per huius artis vsum, suis curis plerumq; gaudia interponunt: Pauperes verò & minus nobiles, de hac arte nobilibus seruietes, obtinebunt ab ipsis necessaria suæ vitæ. Vtriq; verò per hanc artem habebunt manifestationem operation. . . . in auibus. Supponi . . . scientiæ naturali, cum . . . auium manifestet, licet illæ naturæ, ex documento per hunc librum habito, alterari quodammodo videantur. Li-

4 DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

bri titulus talis est, Liber Diui Augusti Frederici Secundi Romanorum Imperatoris, Ierusalem & Siciliae Regis, de arte venandi cum auibus. Ordo tractandi in singulis particulis euidenter patebit. Prooemium namq; antecedit narrationem. In tractatione verò seu in executione ea quæ generalia sunt, præponuntur specialibus, & quæ secundū naturam priora sunt, præponuntur his quæ posteriora sunt secundum naturam.

CAPITVLVM I.

Quod ars venandi cum auibus dignior est cæteris venationibus.

CVm autem ars venandi cum auibus pars sit artis venandi simpliciter, & ars venandi simpliciter plures alias partes habeat, & cum omnes partes artis venandæ per venationem deducantur in actum: primò videndum est, quid sit ars venandi, & quid venatio, & quæ partes artis venandi, quatenus prætermisiss alijs omnibus, ad præsens, de sola arte venandi cum auibus hîc dicatur. Ars venandi est collectio documentorum, quibus sciunt homines ad opus suum deprehendere animalia non domestica, vi vel ingenio. Venatio autem nihil aliud est, quàm motus aut exercitium, quæ eo studio fiunt, vt huiusmodi animalia capiuntur. Partium autem artis venandi alia est, quæ cum instrumentis inanimatis venari docet: Alia cum instrumentis animatis: Alia cum vtrisque simul.

simul. Illius autem quæ docet cum instrumentis inanimatis, multiplex modus est, verbi gratia; Aliquando fit cum retibus, pedicis, balistis, arcubus, sagittis, & multis alijs decipulis. Sed illa quæ cum instrumentis animatis, aliquando fit cum canibus, aut Leopardis, aut alijs quadrupedibus multis: Aliquando fit cum auibus rapacibus. Quæ autem dicantur aues rapaces, & quæ non rapaces, mox dicetur quare sic dicantur.

Prætermisiss ad præsens alijs partibus artis venandi, dicetur ex hoc solum de arte venandi cum auibus, & ostendetur in præsentis capitulo per multas causas, quod ipsa est dignior cæteris, propter quod de eadem prius dicemus. Causæ autem quod nobilior sit cæteris, sunt plures: Legens enim hunc librum & intelligens, plura secreta de operationibus naturæ cognoscet per hanc, quàm per alias artes venationis.

Amplius cæteræ venationes magis notæ sunt à pluribus, pro eo, quod habiliores possunt comprehendi: Hæc verò est minus nota & à paucioribus, non nisi quia est de difficiliore & bono. Amplius res aliarum venationum, per quas deuenitur ad finem intentum, minus nobiles sunt, quàm res præsentis: verbi gratia, cæteræ venationes habent instrumenta artificialia & manufacta, vt retia, laqueos, pedicas, venabula, jacula, arcus, balistas, & huiusmodi. Aut habent animalia quadrupedia, domestica, agrestia, scilicet modos Leopardorum, Canum, Lincos, Lincas, Furectos, & alia plura.

DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

Hæc verò venatio instrumentis prædictis non vtitur, neque animalibus quadrupedibus modo dictis; sed ad acquisitionem finis habet aues rapaces, quæ & inanimatis instrumentis, & quadrupedibus sunt. Amplius etiam multò artificiosius est, instruere aues rapaces venari, quàm canes, aut quadrupedia agrestia, pro eo quod aues rapaces magis timent ab hominibus, quàm cæteræ aues, & quàm quadrupedia, quæ docent homines venationem.

Non viuunt etiam aues rapaces seminibus, aut ijs rebus, quas tractant homines, & quibus vtuntur plures de alijs auibus. Et ideo non conuersantur cum hominibus, neq; domesticantur cum eis, nisi fortè aliquando venarentur aues, quæ viuunt de seminibus & alijs, quæ sunt inter homines, & hoc palàm est, quod aues rapaces plus fugiunt naturaliter ab hominibus, quàm cæteræ aues, & quàm quadrupedia suprædicta. Rarò etiam nidificant aues rapaces in locis hominum habitatis. Et quamuis de quadrupedib⁹ dictis plura fugiunt ab hominibus, ipsæ enim sunt feræ agrestes & feroces, & ideo difficile est mansuefacere ipsas, & docere venari: tamen difficilius est docere aues rapaces venari. Nam illa quadrupedia non habent tantam aptitudinem fugiendi, aut elongandi se, (cum habeant motum terrestrem, & gradientur super faciem) quantam habeant aues. Cùm ipsæ aues habeant motum velociorum, & volatum per aëra. Ideo quadrupedia plus

plus possunt subijci potestati hominum, quàm aues, & possunt capi per vim, aut alijs modis, cum super terram ambulent. Aues verò cum per aërem volent, non possunt capi vi, sed solo ingenio hominum & capi possunt, & doceri. Propter hoc hæc ars venandi difficilior est ceteris venationibus & dignior. Amplius omnes aues rapaces possunt doceri per hanc artem capere maiores aues, vt grues, sistaroas, anseres, & maiores alterius materiei, quàm per se caperent, & minores aues non solum eo modo, quo caperent per se, sed plurib⁹ alijs modis. Per quod probatur essentia artis, difficultatis & vtilitatis. Amplius aues rapaces & faciem hominis, & conuersari cum homine naturaliter abhorrent, sed per hanc artem docentur facere ad opus hominum, quod operabantur per se, & ad opus suum, & conuersari cum homine, quem naturaliter fugerunt. Amplius aues rapaces per hanc artem docentur venari simul eandem prædam, & consentire indiuiduis suæ speciei, & alterius, tam volando quàm super prædam, quod per se & sine hac arte nunquam facerent. Amplius & scientes inscij de facili possunt iuuare in venatione, quæ fit cum canibus, aut alijs quadrupedibus; possunt enim tenere canes vbi conuenit, & dimittere. Nullus verò in venatione quæ fit cum auibus, de facili iuuare poterit, neq; portare, neq; iactare aues nisi sit doctus & expertus has. Falcones namq; & accipitres & huiusmodi ab indocto redderentur inepti, aut forsitan deuastati. Amplius

3. DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

cæteras venationes videndo & audiendo potest aliquis etiam inscius addiscere; hanc autem non sine docente, neq; sine artificiosa operatione frequenti poterit aliquis siue nobilis siue ignobilis addiscere. Amplius pro eo quòd plures de nobilibus hanc artem addiscunt, & diligenter exercent, pauci verò de ignobilibus: satis coniecturaliter probatur, quòd hæc ars sit nobilior cæteris ex suprädictis. Itaque palàm est, quòd ars venandi cum auibus, & ars est, & cæteris venationibus nobilior, & dignior, & ideo prior. Quare de ipsa est prius tractandum, de reliquis verò venationibus, præcipuè de illis, in quibus nobiles delectantur, vita comite, post complementum huius operis dicitur à nobis.

CAPITVLVM II.

De Diuisione auium generaliter in aquaticas, terrestres & medias,

IN hoc autem primo tractatu huius artis dicemus de diuisione auium, q; est necessarium dicere prius, ad artem venandi cum auibus. Vnde autè omnes auès, sicut & cætera animalia habeant omnes operationes suas, circa coitum, circa partū, circa acquisitionem cibi, circa mutationem locorum ad colorem & frigus temporis, circa mutationem alimentorum. Dicemus conuenienter diuisiones auium generales, diuersos motus quos faciunt ad acquisitionem escæ suæ, diuersitatem escæ qua vtuntur, muta-

LIBER PRIMVS.

mutationem quam faciunt ad loca quædam propinqua; quædam remota ppter calorem & frigus temporū, diuersitatem & iuuamentum membrorum in ipsis, naturam plumarum, modos volatum suorū, modum pugnae, & defensionem quā habent, & mutationem plumarū. De his eisdem non dicemus, nisi figuraliter, & quantillū sufficit ad nostrum propositum, scilicet: vt artifex, qui exercet venationem cum auibus rapacibus sciat per cognitionem horū generalium melius, vbi, quando & quomodo cum rapacib⁹ valeat p̄dari non rapaces. Reliqua verò omnia, quæ prætermittimus de natura auium in libro Aristot. de animalibus, requirantur.

Prima itaq; diuisio auium est hæc: Auium aliæ sunt Aquaticæ, aliæ terrestres, aliæ mediæ. Aquatiles verò dicuntur aues de riuera, & hæ sunt, quarū mansio est in aquis, & circa aquas, quibus natura p̄uida, membra dedit habilia ad manendū in aquis & circa aquas, & de sua natura & complexione habent diligere manere in aquis. Terrestres verò dicuntur aues de campo, & sunt hæ, quarum mansio est super terram, & habent membra habilia ad hoc, & complexio sua ministrat eis diligere semp̄ manere in terris & super terras. Mediæ autem dicuntur, quarum mansio partim in terris, partim in aquis consistit, & natura dedit eis membra congrua ad vtrumque, & complexio dat eis quod diligant in vtroq; manere. Et quamuis Aristoteles diuidat omne animal in aquatile & terrestre, aquaticum appellans pisces solū; sub terrestri

A 5

verò

16 DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

verò volatile & gressibile comprehendens, nec omne volatile etiam dicens aues. Nos tamen quadam consuetudine habita inter venationes auium, & quadam transumptione loquendi, aues in commixtione materiz quarum dominantur superiora & extrema leuium elementorū, quæ immo sunt leuiores subtiliores volantes, & aërem inhabitantes diuidimus in aquaticas, terrestres & medias, quarum omnium exempla dabimus, prosequendo diuisiones earum in genera diuersa, & generum in species diuersas.

Aquaticarum verò auium alia semper habent mansionem in aquis, quæ non recedunt ab aquis neque pro cibo, neque pro alio, nisi tantum ut mutantur de vna aqua in aliam, aut ut mutant loca secundum mutationem temporum, ut modi mergorum, & corui marini, qui mergones etiam dicuntur, & cinni, & illæ, quæ dicuntur ab Aristotele in libris animalium Pellicani, qui ab Apul. dicuntur Cofani. Hæ sunt aues magna ad modum cinnorum albæ, longum & latum habentes rostrum, sub quo habent pelliculam quam aperiunt & claudunt piscando ad modum sagenæ. Hi habent digitos pedum coriales, & corium est continuans digitum posteriorem anterioribus digitis, quod non contingit in alijs habentibus digitos coriales. Hæ & multæ aliz rarò aut nunquam recedunt ab aquis. Aliz verò non semper habent mansionem in aquis, sed recedunt ab aquis, & propter duo prædicta, & alioquin propter cibum, quæ propter hoc, quod natura earum hoc appetit ad aquas redeunt, & in
 ipsis

ipsis habent mansionem suam, vt sunt diuersa genera anserum, & diuersa genera anatum & similia. Terrestrium verò alia semp manent in terris, neq; vadunt vnquã ad aquas, nisi causa sui potus, & suæ balneationis, vt modi coturnicum & perdicum, & fassiani, bistardæ, & anates, quæ dicuntur campestres, quæ similes sunt bistardis, multò tamen minores, pauones & plures huiusmodi.

Alia non semper manent in terris sed recedunt à terris, & vadunt ad aquas propter potum & balneum, & etiam propter cibum, deinde recedunt ad terras & in terris manent & quiescunt, sicut expetit earum natura, vt quoddam genus aquilarum, quæ dicuntur ad hoc aquilæ piscatrices. Hæ mergunt se in mari, in fluminibus & lacubus ad piscandum, postea recedunt ad manendum in terra, in rupib⁹ & arboribus, & meritò huiusmodi aquilæ dicuntur terrestres, cum sint de genere rapacium, & omnes rapaces terrestres dicim⁹ esse. Mediarũ inter aquaticas & terrestres triplex est modus. Sunt enim quædam, quæ pmanent libentius in aquis, quàm in terris, secundum quod, earũ natura ex modo commixtionis elementorum hoc appetit, vt modi Et sunt quædam, quæ diligunt magis conuersari in terris, quàm in aquis, cum in vtroq; permaneant, vt Puerij, Vanelli, Liuercini, & huiusmodi, inter quas Puerij minus diligunt aquas quàm vanellij, & vanellij magis quam Liuercini. Vnde Liuercini plus trahuntur ad naturam terrestrium quàm vanellij & plura

& pluerij, vanelli namq; & pluerij sæpe dormiunt in campis nocte, sed Liuercini sæpius. Et sunt quædam, quæ diligunt manere quasi æqualiter in aquis & terris, vt genera gruum maiorum scilicet & minorum, & ambæ species ciconiarum, albæ scil. & nigræ, nigræ tamé sæpius visæ sunt permanere in aquis. Visæ sunt, autem frequenter albæ & nigræ euntes ad piscandum in aquis & locis aquosis, & in pratis mollib⁹, deinde redire ad manendum in terra.

Continentur itaq; omnia genera auium, omnesq; species sub his tribus differentijs, quæ sunt, aquaticum, terrestre, & medium. Istud etiam est sciendum, quòd illas medias aues, quæ plus morantur in aquis, locauerunt exercitati inter genera auium aquaticarum, quia imitantur tam aquaticas, quàm terrestres aues de riuera. Illas autem quæ terrastenant, de natura complexionis morantur plus in terris, consueuerunt terrestres dicere, & tam has terrestres, quàm istas vocare aues de campo. Illas autem quæ tenent æqualiter vtrumq; , alij inter aquaticas, alij inter terrestres posuerunt, sed illæ mediæ, quæ exeunt de aquis, & ascendunt in terram, & redeunt ad aquas ad tutelam & ad quiescendum, licet frequentent campos, verius tamen dicentur aquaticæ, cum multò plus habeant stare & refugere in aquis, vt genera gruum. Sed illæ mediæ, quæ habitant in campis & vadunt ad aquas causa balnei & potus, & refugiunt ad aquas, quando rapaces sequuntur eas, dici poterunt conuenientius terrestres, vt Liuercini,

uercini, pluerij, vanelli & huiusmodi, plures etiam de terrestribus ad aquias refugiunt timore rapacium persequentium eas, ut dicitur in Capitulo de Defensionibus auium, sicut sunt cornices.

CAPITVLVM III.

De Diuisione auium, in rapaces
& non rapaces.

Rursus & aliter diuiduntur aues: Aliz enim sunt rapaces, aliz non rapaces. Et licet Aristoteles & alij Philosophi conuenerunt in diuisionibus tractandus prius de affirmatiuis, & subsequenter de negatiuis: tamen quia necessarium est tractare de rapacibus specialiter, ideo primò tractabimus de negatiua, uidelicet de auibus non rapacibus, de rapacibus autem tractabimus latius subsequenter.

Non rapaces uerò dicuntur, quz cunque non uiuunt de raptu, siue sint aquatiles siue terrestres, siue mediz, & quidem terrestres quz quandoq; rapiunt, & de suo raptu uiuunt, quandoque non uiuunt de suo raptu, sed de granis & fructibus & huiusmodi, sicut sunt modi coruorum cornicularum, picarum & huiusmodi, pro eo quòd non uiuunt de solo raptu, non possunt dici rapaces proprie, multò minus genera uulturum & picarum, quz dicuntur ossa frangentes, & quidam modus aquilarum ignobilium, cum nunquam rapiant alias aues aut bestias, sed semper comedunt carnes caduerum morti-

DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

morticinas scilicet, aut residuas, dici non debent rapaces. Oportet tamé scire, quod eadem genera & eadem species auium diuersis vocabulis apud diuersos nuncupantur, & multoties eisdem; non tamen ppter identitatem nominū eadem sunt dicenda, sicut neq; propter diuersitatem, diuersa: nomina namq; non sunt eadem apud omnes, sed mutantur apud homines diuersi idiomatis, & eiusdem. Propter hoc eadem genera & species siue diuersa dicantur, secundum quod essentialia naturæ materiei vniuersalia erunt eadem atq; diuersa, scil: in natura sua, vt forma membrorum in motibus & operationib⁹ ipsorum, in vsu eorundem ciborum, in eodem modo pullificationis & in cæteris naturis ipsorum, sicut in modo volatus & in modo . . . sionis, naturæ namq; & proprietates quæ sequuntur res inseparabiliter, eadem sunt apud omnes, quemadmodum res quarum sunt proprietates.

Amplius diuersæ regiones habent quædam genera auium diuersa ab alijs, & vna regio habet aliqua genera auium, quæ nec alia habet regio, & vna regio habet eadem, quæ habet alia, sed plurimùm dissimilia in colore & alijs accidentibus, considerando tamen naturam & formam membrorum, & vsus cibariorum, & operationes cæteras ipsarū, cognoscentur, sub quo genere erunt collocanda. Propter hoc cum posuerimus exemplū de vno genere auium, & dixerimus & similia ei, non est opus enumerare cætera, ne in prolixitatis fastidium incidamus.

Magna

Magna enim est multitudo aquaticarū auium, terrestrium & mediarum & cæterarum. Inveniuntur etiam multiplicia genera aquaticarū similia & proxima valde, quemadmodum & terrestrium & mediarum, quæ omnia longū esset enumerare. Sed cū videbuntur idenditates auium in essentijs & proprietatib⁹ supradictis, aut diuersitates, iudicentur esse eiusdem generis aut diuersi, quod habebit locum etiam in auibus illis, quæ non fuerunt visæ alia vice.

CAPITVLVM IIII.

De aquaticis, quib⁹ modis acquirunt suam escam, quando, & quam.

EXpletis diuisionibus auium in aquaticas, terrestres & medias, & rursus in rapaces & non rapaces: videndum est per ordinem de motibus & operationibus, quas habent singula genera ad acquisitionem cibi sui, in quo patebunt aliæ plures diuisiones auium, & naturæ plures earum. Motus itaq; & operationes, quas habent aues aquaticæ ad acquisitionem cibi, plures sunt. Nam aliæ aquaticarum natant & non beneuolant, & ab aquis non recedunt, vt omnia genera mergonum fere, de quibus videtur contrarium ei, quod sentit Aristot. in libro de animalibus dicens, quod quæ aues sunt modici volatus, sunt boni gressus. Mergonum namque genus modici est volatus, & peidris gressus, quod si intelligitur minus vniuersaliter de terrestrib⁹, verum erit: de aquaticis verò modici volatus, non sic se habet. Aues aquaticæ natan-

DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

natantes pro eo quod sibi est expediens manere in aquis, habuerunt à natura pedes suos dispositos ad natandum magis quam ad ambulandum, & ferè omnes natantes, siue sint de illis quæ beneuolant, siue de illis, quæ malè uolant, mali sunt gressus. REX.

Causa autem quare aues natantes sunt mali gressus, est: quia cum huiusmodi aues aptæ natæ sint ad natandum propter victum, quem sibi sic natando acquirunt, natura dedit eis tibias curuas, ut melius fortius, & facilius se impellerent natando per aquas; nam si longas haberent tibias, nimis esset eis difficile, natando se impellere, cum de necessitate oporteret tibias ipsas, propter ipsarum longitudinem, nimis profunde attingere, & subintrare aquas; & cum aquæ in profundo, tanquam magis distantes ab aëre facilius ducantur, non facientes tantam resistantiam, dum una res uidelicet infra tantum aqua ducatur, & in superficie propter attractionem aëris, quo aqua ipsa ambigitur, magis sustineat corpus natans, & dum oporteat quod duo ducantur natando per superficiem, uidelicet ipsa aqua & aër, qui sibi coniungitur & opponitur, maiorem resistantiam faciant pedibus auis natantis ducendo & exercendo eos in posterius, & sic magis impellant. Auis ipsa si tibias longas haberet, ducendo eas per profunditatem aquarum, non posset facere talem impulsione[m], dum non inueniatur tanta resistantia in profundo, qualem facit cum tibijs curtis, quæ ducuntur per super-

superficiem aquæ, quæ magis auxiliatur impulsioni. Videmus enim exemplum in galeis, vt si quando remiges volunt fortius nauigare cum remis, non immittunt multum profundè remos per aquam, sed sustinent ipsos altè, ducendo prope superficiem aquæ, ad hoc vt aqua ipsa prope superficiem remis ipsis fortius resistente, galea melius impellatur, & velocius currat. Cōtiggeret etiam inde aliud, quia auis postquã natando sic tibias longas extenderet, vix posset ipsas ad se retrahere, quod subsequenter & sæpius faceret alias impulsiones natando, vt facit cum tibijs curtis, quas frequentius & facilius ad se retrahit. Habuerunt igitur huiusmodi aues à natura tibias curtas ad melius natandū, & quia curtitudo tibiæ est contraria gressui sicut euidenter apparet in nanis, sequitur igitur quòd aues ipsæ omnes sunt mali gressus rationabiliter. Aliæ verò aquaticæ, natant & beneuolant, nec recedunt ab aquis vt genera Cinnorum, & Pellicani, quos quidam in Italia dicunt Cofanos, & modi coruorum marinorum & similia eis. Aliæ non natant neq; beneuolant, neque recedunt ab aquis, vt modi quidam rallorum & sibi similium. Aliæ non natant, & beneuolant, neq; elongantur ab aquis, vt genera Ayronum & sibi similium. Rursus aquaticarum natantium quædam submergunt se penitus in aquis ad acquisitionem cibi, quædam caput & collum vsq; ad spatulas, vel vsq; ad medium corporis. Diuersitas ciborum quibus vtuntur aquaticæ, talis est: aquaticarum enim

B

aliz

alix viuunt de rebus aquaticis solùm : alix de campestribus solùm : alix de vtrisque. Quæ viuunt de rebus aquaticis solùm, sunt pellicani, genera coruorum marinorum, & genera mergonum; quæ solùm de piscibus viuunt. Illarum verò quæ de campestribus solùm viuunt, alix acquirunt sibi cibum in aquis, vel circa aquas, vt cinni, qui viuunt de herbis, granis, & fructibus, quæ priusquam comedant in aqua remolliunt, propter teneritatem rostri. Alix de prope, & à longè ab aquis vbi melius inuenire possunt, vt genera anserum, quæ viuunt de herbis granis, & segetibus, & huiusmodi. Illarum verò quæ de vtrisque viuunt, alix viuunt de piscibus, & reptilibus aquaticis & terrestribus, vt sunt modi Ayronum, qui viuunt de piscibus, ranis & serpentibus, muribus, & huiusmodi: Alix de piscibus, herbis, fructibus & granis sicut anates. Ex prædictis patet, quòd quædam auium aquaticarum natant & comedunt pisces, quales sunt modi mergulorum, pellicani, corui marini, & huiusmodi. Quædam natant & non comedunt pisces, vt maneries cinnorum. Quædam non natant & comedunt pisces, vt modi Ayronum, & sibi similibus. Quædam non natant, neq; comedunt pisces, vt sunt multi modi picarum, quæ sunt aquaticæ, neque natant, neque comedunt pisces.

CAPITVLVM V.

De exitu Aquaticarum de aquis ad pascendum.

Octo

Octo de diuersitate ciborum quibus v-
 tuntur aues aquaticæ requiruntur dicere;
 quando exeunt ad pascendum, illæ scilicet quæ
 pascuntur extra aquas, & quoties exeunt per
 diem, & quomodo exeunt ad pascendū, & re-
 deunt de pascuis ad aquam, & quo ordine, & ad
 quæ loca, & quare redeūt ad aquā, & quomodo
 stant in aquis quiescentes. Exeunt autem aues
 aquaticæ, quæ ex aquis exeunt ad pascendum in
 die, & hoc est cōmune omnibus auibus huius-
 modi aquaticis, exceptis quibusdam, quæ adeo
 sunt debilium motuum & modici volatus,
 quòd præ timore quem habent de auibus rapa-
 cibus, per diem volare non audent, neque ad
 transmutandum aquas, neque propter sui pa-
 stum, de nocte verò exeunt & volant, vt qui-
 dam modus mergonum, & fullicarum, & plu-
 res earum quæ habent malum volatum; certis
 autem horis diei exeunt aquaticæ ad pascen-
 dum, & certis horis redeunt à pascuis, mane
 namq; circa ortum solis exeunt ad pascendum,
 & morantur in pascuis vsq; ad tertiam, & ali-
 quando minus, aliquando plus, cū enim dies
 æstuosus est, minus morantur, & cū dies est
 nubilus & non æstuosus, plus morantur, circa
 tertiam verò diei redeunt ad aquas & illic mo-
 rantur & quiescunt vsq; circa nonam, & tunc
 iterum exeunt ad pascendum, & morantur in
 pascuis vsq; ad occasum solis, & tunc secundò
 redeunt ad aquas, quiescentes in eis tota nocte,
 anticipant autē horas exeundi & redeundi se-
 cundum intentionem & remissionem caloris
 in die, vt prædictū est. Plures etiam huiusmodi

B 2

de aqua

de aquaticis pernoctant aliquando extra aquas pascendo, præcipuè cum splendore Lunæ, & huiusmodi sunt anserum modi, quæ sunt aues multum comedentes, & comedunt herbas & cætera quæ videre possunt in nocte cum lumine Lunæ, hoc autem faciunt maximè quando noctes sunt longæ, nam eis non sufficit esca, quam sumpserunt in die. Accidit autem quod anseres maiores & etiam minores pascendo seu volando miscent se cum domesticis anseribus, & nulla de ipsis remanet cū domesticis, quemadmodum plures de domesticis recedunt cum eis, & fiunt agrestes, facilius enim est ad naturam redire, quam consuetudinem retinere, beneficio siquidem pastus & nutrimenti, non solum aues sed plura animalium cōuersantur inter homines. Alij autem modi aquaticarum & mediarum non pernoctant extra aquas, nec pascuntur in nocte, quia sunt aues modici cibi, & quæ pascuntur grana radices herbarum, & similia, quæ non possunt videre de nocte, etiam cum splendore Lunæ, vt pluerij, vanelli, & genera gruorum; anates verò & Circellæ, & similes non accedunt istis horis certis, sed pascuntur tota die aquis vel extra aquas. Ex prædictis patet, quotiens redeunt de pascuis, fortiuntur enim omnes horas diei in tres partes, duabus partibus sunt in pascuis, reliqua verò parte ante has in aquis quiescunt, omnibus verò horis noctis stant in aquis, & sic vnam partem faciunt de tota nocte, vnde bis exeunt in die ad pascua, & bis redeunt de pascuis. Modus autem quem

quem habent in exeundo & redeundo multiplex est; aliæ enim cōgregantur cum alijs eiusdem speciei, & diuisim in multas turmas exeunt, & redeunt sequentes aliæ alias successiue, quasi gemino ordine linearum, cōuertentium se in angulum: rarò verò aut nunquam associabunt se in numerum alterius speciei, sed manent vt plurimum anseres cum anseribus, anates cum anatibus, circellæ cum circellis, grues cum gruibus, & sic de alijs. Et si quando contingat illas associari aibus alterius speciei, non hoc faciunt, vt cum eis remaneant, sed quia quando vident alias ire, volunt ire & ipsæ: postmodum verò statim dissociabunt se ab eis, & quælibet redibit ad alias suæ speciei. Aliæ verò non seruant istum modum, sed confuse exeunt & redeunt, & sine ordine, aliquando associatim, aliquando singulariter, vt vanelli & huiusmodi. Hæ aues & cæteræ tam mediæ, quàm terrestres, quæ non sunt rapaces, pro eo quod non indigent præparatione cibi sui, vt ipsum deglutiant, nam ipsum inuentū granatim deglutiunt, & siue grana siue pisces siue vermes comedant, tam volatiles quàm non volatiles, tam citò deglutiunt, quod si aliæ aues hoc videant, quæ viuunt de similibus cibus, non possunt tam celeriter currere, quin illæ prius deglutiissent, non curant solitariè pasci, sed associatim volant, & pascunt cum alijs suæ speciei.

CAPITVLVM VI.

De ordine exitus ipfarum ad
pascendum.

ORdo autem exitus aquaticarum & mediarum de aquis ad pascendum ad plus, est hic: prius exeunt species anserum minorum, deinde grues, postmodum species anserum maiorum, vltimò verò bernecelæ, & quidam modus anserum paruarum incedentium cum eisdem simul quæ dicuntur bleneclæ, & subsequenter alij modi auium aquaticarum.

Ordo reditus hic est: Bernecelæ & Bleneclæ prius redeunt ad aquas, deinde grues & anseres, postremò verò & cætera multitudo. Loca ad quæ exeunt ad pascendum sunt secundum diuersitatem escæ, qua vtuntur diuersa, & secundum diuersitatem temporum, vt dicitur infra, docendo loca in quibus inueniuntur aues, ad quas iactari debent falcones & ceteræ aues rapaces. Anates verò & ceteræ aues aquaticæ similium specierum, exeunt libentius & sæpius ad pascendum temporibus pluuiosis, propter quod & in hyeme magis, & multò sæpius in Septembri Octobri, Nouembri, maximè diebus pluuiosis. Hoc autem faciunt cum pluuiæ deponunt semina herbarum, & fructus arborum, & dumorum, quæ omnia in suo cursu congregant & deportant ad loca riuulorum, Riuularum; & ad cetera loca minora collectiua aquarum. Hæc ergò sunt loca, hæc sunt tempora, quando & quo exeunt libentius & sæpius. Non solum

solùm autem anates & aquaticę huiusmodi tunc exeunt libentius ad pascendum, sed etiam omnes aues quę viuunt de vermibus quos cauant sub terra, & quos inueniunt super terram, vermes enim hoc tempore & his locis generantur amplius, & exeunt de suis habitaculis ad superiora terrę, fugiunt namq; aquam, quę est eis nociua, & facilius est eis penetrare ad sursum propter superficiem remollitam, quàm ad deorsum, vbi est solidum.

CAPITVLVM VII.

De reditu aquaticarum ad aquas
seu loca aquosa.

LOca verò ad quę redeunt sunt aquosa, quemadmodum sunt lacus, stagna, paludes, flumina magna & modica, quę dicuntur Riueriæ, & cętera loca vna collectiua aquarum, quę dicuntur à quibusdam placteriæ, libentius autem & sæpius huiusmodi aues redeunt ad flumina lapillosa, spaciosa, & sæpissimè ad insulas, & quę sunt in eis. Propter hoc autem redeunt ad loca aquosa in die, vt illic maneant tutiores contra ferās, lustras scilicet, vulpes & huiusmodi, & contra aues rapaces, quę rapaces parùm possunt in aquis; nam aquaticę se submergunt in eis ad defensionem suam. Alijs etiam modis habent defensionem suam in aquis. Debilis verò auis aquatica maiorem defensionem habet in aqua, quàm alia fortior extra aquam.

De statu quem faciunt in aquis tam dormi-
miendo, quam non dormiendo.

Hic autem est modus, quem habent stando
in aquis & dormiendo. Illæ aues aquaticæ,
quæ natant, aliquando manent in aquis natando,
& aliquando prope ripam, tenendo pedes
suos in terra sub aquis vsq; ad genua, vel vnum
pedem solùm. Illæ verò, quæ non natant, siue
sint aquaticæ, siue sint mediæ, tenent aliquan-
do suos duos pedes in terra sub aquis, aliquan-
do vnum vsque ad genua, vel supra, secundum
quantitatem aquæ. Maior verò pars aquatica-
rum & non aquaticarum quando dormiunt, po-
nunt caput suum retro spatulas suas supra dor-
sum, & tam natantes, quam non natantes super
vnum pedem dormiunt, quæ ideo tenent ca-
put inter spatulas, vt rostrum quod est corneum
& frigidum, & caput etiã calefiat: per hanc ca-
lesfactionem enim humiditas ipsius capitis faci-
lius dissoluitur & repellitur, quæ per frigus
congelaretur. Imò & de facili fieret morbus in
capite, qui dicitur id est, petrifica-
tio, phlegmatis in capite. Super vnum pedem
verò dormiunt non solùm aquaticæ, sed ferè
generaliter omnes aues, vt leui somno dor-
miant, & citius excitentur, quod faciunt, vt
imminentia nocumenta facilius sentiant & fu-
giant, Aquaticæ verò cum dormiunt, ad hoc te-
nent vnum pedem in aqua, vt quando aliquam
feram contingeret aquam intrare, aut aliquid
aliud

aliud nociuum eis, ipsæ sentiant facilius motus aquæ. Aqua namque pro eo quod humida est, & malè terminabilis proprio termino, mota circulariter, mouet aliam parté sibi continuam etiam circulariter, & sic prouenit motus, desistente primo motore, vsque ad crura auium. Aues verò sentientes sua crura tangi, excitantur protinus & sibi cauent, & omne corpus quantò super plures bases steterit, firmitus stat, & difficilius est commoueri, quantò verò super pauciores, contrarium. Propter hoc dormientes super vnum pedem, facilius commouentur & excitantur. Præterea omne dormiens cum timore, facilius excitatur, sed omnes huiusmodi aues cum timore dormiunt naturaliter; igitur sic dormientes facilius excitantur. Sunt & alæ rationes, quas Manfridus Rex Siciliæ quondam, Diui Augusti Imperatoris, huius libri auctoris filius addendas curauit, cum librum ipsum corâ se legi mandauit. Cùm aues omnes tam aquaticæ & mediæ, quàm terrestres tantùm laborent pro acquirendo cibo, exeundo, redeundo & stando super pedes, fatigantur valde, sed nocte veniente, qua quiescere consueverunt, cùm stando pedes quiescere volunt, vicissim aliquando super vno, aliquando super alio quiescunt, sicut accidit fessis animalibus ambulabilibus dum quiescere volunt stando supra pedes, quandoq; super vno pede, quandoq; super altero quiescunt. Est & alia ratio, quòd cum pedes auium ferè carne careant, & in eorum compositione sint ossa, nerui lacerti, cutis, &

ungues cornez, quæ omnia sunt frigida naturaliter, & in somno in frigidantur extrema propter reuocationem caloris & spirituum ad loca decoctionis, pedes ipsi sint naturaliter frigidi, in somno leuiter in frigidantur, vnde cum in frigidata membra propria operatione deficiant, est necessarium quod calefiant, ad hoc vt viuificentur virtutes & per consequens operationes eorum. Vnde vicissim circa ouariam & ventrem & infra plumas vt calefiant, contrahunt pedes suos, hoc faciendo successiuè primo de vno pede, & postmodum de alio consequenter. Si verò ventus est, dormiendo opponunt sua pectora vento, vt pennæ ipsarum iaceant consertæ corpori pendentes ad inferius, quemadmodum innatæ sunt, & non iaceant hirsutæ. Nam si ventus veniret, à tergo, eleuaret pennas & plumas earum, & commoueret eas, quare inquietarentur cū deberent quiescere & dormire.

CAPITVLVM IX.

De terrestribus, quibus modis acquirunt sibi escam, quando & quam: Et quare noctuæ exeunt ad prædandum de nocte.

MOtus autem & operationes quas habent Maues terrestres volando naturaliter ad acquisitionem cibi, multi sunt. Quædam enim terrestrium auium sunt boni volatus & nullius gressus, vt modus hirundinum maiorum, de quibus dicit Aristoteles, quòd sæpe videntur in primo veris, & in autumnno, & in æstate quandoq;

doq; & maximè paulo ante pluuiosum tempus & paulo post, habent autem curta crura & debilia; alas verò longas ad modum falcis, quæ in terra positæ non possunt ambulare, & de terra vix possunt exsurgere ad volandum, propter quod manent & adherent sæpe in rupibus & in cryptis vt ab alto se præcipitent ad volandum. Quædam sunt boni volatus & mali gressus, vt omnia genera rapacium, & plurima de non rapacibus; & secundū plurimum, omnes aues quæ sunt boni volatus non sunt boni gressus, generaliter verò omnes quæ sunt mali gressus, sunt boni volatus, nam hæc consequentia est generalis, prima verò non. Aliæ terrestriū sunt boni gressus, & nullius volatus, vt strutiones: Aliæ sunt boni gressus & mali volatus, vt perdicum, coturnicum genera, & modus rallorum terrestrium, quæ dicuntur duces coturnicum, & fassiani & similes his. Amplius terrestrium alia acquirunt sibi cibum volando, & in aëre capiunt ipsum. Aliæ acquirunt sibi cibum ambulando, super terram & de terra recipiunt ipsum. Illarū verò quæ volando capiunt ipsum, aliæ comedunt ipsum in aëre, vt modi hirundinū, syrenæ & similes, quæ capiunt in aëre, & comedunt modos muscarum, scarabæorum, apum, & vesparum, & ceteros vermiculos volantes, nisi cum capiunt aliquē vermiculum ex habentib⁹ aculeos, quī possent eis nocere nimis in transglutiendo. Ad occidendū verò huiusmodi, & ad præperandū descendunt aliquando ad terram, vel vadūt ad ramos arborū, & præparant, vt nō sit eis nociu⁹ quando

quando deglutient. Alię verò volando suam capiunt

. semper stant super terram & super arbores ad occidendum, deprædandum, & præparandum, & ad comedendum ipsam, ut sunt aves rapaces omnes fere, quæ capiunt alias aves in aëre, sæpius ad terram vadunt vel ad arbores ut comedant. Illarum verò quæ ambulando acquirunt sibi escam, alix mordicando cum rostro in superficie terræ, & non raspando cum pedibus, ut bistarda, cinni, anates campestris & similes quæ pascuntur semper super terram, herbas, grana, vermes & huiusmodi. Alix raspando cum pedibus sub terra, quando non inveniunt escam super terram, ut perdices, gallina, fasiani, pauones coturnices, & similes his. Alix raspant cum pedibus & cum rostro cauando, mordicant ea quæ inveniunt super terram & sub terra, ut genera monedularum coturnicum, coruorum, & earum quæ sunt similes corniculis, & ut modi picarum, ac sturnelli & similes his. Præterea & alios modos multos in acquirendo cibum huiusmodi aves terrestres habent, quos tædiosius esset narrare ad præsens. Cibi verò quibus sæpius utuntur terrestres diuersi sunt: nam alix utuntur magis alio cibo, quàm carnibus: alix carnibus & alio cibo: alix carnibus solùm. Illarum quæ utuntur magis alio cibo, quàm carnibus, quædam sæpius comedunt grana, fructus arborum & dumorum, brucos, & cætera conuenientia sibi, ut perdices, starna, phasiani, pauones, franquillini. Coturnices

nices & huiusmodi, quæcunq; sunt modici volatus, vtuntur iisdem cibis, vt modi columbarum & turturum, & facha, quæ sunt maiores columbis & maiores turturibus, & bistardæ, & anates campestres, quæ sunt in colore & forma membrorum & in pluribus similes bistardis, sed multo minores in quantitate. Quædam nec semina, nec herbas, nec fructus comedunt, sed formicas & modos aranearum, & modos vermiculorū, vt sunt species piconum. Quædam verò de auiculis terrestribus habent cibum de arboribus, fructus scilicet arborum, & vermiculos qui sunt super arbores. Quædam ex herbis, semina scilicet herbarum, & vermiculos qui sunt super herbas. Quædam ex terris, semina, scili. iacentia super terram, & vermiculos, de terra. Quædam verò ex omnibus his indifferenter habent sibi cibum. Illæ verò quæ comedunt carnes & alios cibos indifferenter, sunt genera coruorum, cornicularum & modi picarum, sed carnes quibus vescuntur sunt de morticinis, vel residua de animalibus occisis ab auibus, aut hominibus, aut feris, rarò namque rapiunt auem aliquam, aut bestiolam, nisi forte infirmam aut debilem, & aues huiusmodi in defectu carniū, pascuntur grana, fructus, vermes, locustas, bruculos, & similia quæ acquirunt super terram, aut sub terra. Illæ verò, quæ comedunt solūm carnes, tribus modis sunt: Aliæ enim nunquam comedunt carnes de suo raptu, sed semper morticinas, aut residuas, de quibus prædictum est, vt sunt genera

vultu.

DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

vulturum, ossifragorum, & sibi similium. Aliæ vescuntur morticinis carnibus, residuis, & alijs, quas quandoq; rapiunt, vt genus miluorum, & quædam genera aquilarum ignobilium. Aliæ vescuntur solum illis carnibus, quas habent de suo raptu, & nunquam carnibus cadaueris, neq; residuarum, vt genera falconum & accipitrum rapacium, & similium. Dicto de diuersitate ciborum quibus vtuntur terrestres aues, restat dicere ea quæ sequuntur, sicut dicebatur de auibus aquaticis, sc. quando & vbi, &c. Horæ itaque quibus exeunt aues terrestres de suis mansionibus, non sunt adeo euidenter distinctæ in omnibus auibus terrestribus, quemadmodum in omnibus aquaticis, quæ exeunt ad pascendum. Veruntamen quibusdam terrestribus sunt determinatæ, quibusdam non. Determinatas horas habent ad exeundum omnes ferè quæ sunt modici volatus, vt modus perdicum & starnarum, fasiani, franquillini, & aliæ quæ sunt boni volatus, & maneries columbarum, quæ exeunt manè circa ortum solis, & stant in pascuis suis vsq; circa tertiam, & tunc redeunt ad mansiones suas fructuosas & herbosas. Nam illæ quæ sunt modici volatus, pro eo quod sunt modici volatus, & aues rapaces delectantur rapere ipsas pro bonitate carniū suarum, timent esse tota die extra mansiones suas ad pascendum: imò exeunt in mane ad pascendum prope mansiones suas, & redeunt de pascuis circa meridiem, post nonam verò iterum exeunt ad pascendum, & stant

LIBER PRIMVS.

stant in pascuis vsq; ad occasum solis, post occasum verò redeunt ad suas mansiones ad pernòtandū in eis, & tutius quiescendum. Tamen sciendum vniuersaliter, quòd illæ quæ in arboribus natæ sunt; & mansionem ibi habent, ad arbores redeunt, quæ verò in rupibus, ad rupes, quæ in fruticibus ad frutices, quæ in terra, ad terram, & sic de cæteris mansionibus omnium auium terrestrium. Sunt & aliæ aues terrestres, quæ exeunt ad pascendum in nocte bis, scil. in crepusculo serotino, & matutino, præcipuè si nox fuerit obscura, in splendore enim Lunæ exeunt, ad prædandum quacunq; hora, sicut sunt bubones & modi noctuarum, & vniuersaliter omnes aues, quæ de nocte exeunt ad prædandum. Nec istud prædari de nocte faciunt pro eo quod sicut asserit Aristot. de nocte vident, & de die non vident: de die namq; vident & de nocte, comedunt auium in die volare non audent. Imo animalia quadrupedia quæ per diem latent, & per noctem exeunt ad pascendum, quæ debilis defensionis sunt faciunt hoc eis accidere, videntur enim per diem ab eis quæ vellent nocere, & odoratu sentirentur vestigia sua. Similiter est de huiusmodi auibus, & de pluribus quæ sunt debilis defensionis, faciunt hoc ne videantur ab auib⁹ alijs sibi nocere volentibus, omnes enim insurgunt in eis & verberant ipsas, vnde & aucupes ad huiusmodi aues cōgregant alias, quas capere volunt, de nocte verò, pro eo quod cæteræ aues quæ

DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

quæ inimicantur eis quiescunt in mansionibus suis, tutius volant ad prædandum. Pluribus verò auibus terrestribus non sunt horæ determinatæ, ad exeundum de suis mansionibus ad pascendum in die, sed exeunt mane, vel quacunque hora diurna possunt ad pascendum, & tota die stabunt & volitabunt in suis pascuis, post occasum verò solis redeunt ad proprias mansiones, vt in eis pernoctent securius & quiescant, sicut variæ. Cornicum modi & modi monedularum Vultures similiter & ossa similes, auiculæ terrestres, vt sunt alaudæ, couar passeres faciunt, quod & istæ tota die pascuntur si tempus faueat ipsis, & non habent certam mansionem, adeo sibi propriam vt cæteræ aues supradiçtæ, quamuis postea redeant omnes ad loca in quibus natæ sunt, vel ad similia illis. Sunt etiam aues terrestres quæ pascuntur per diem, & magis à tertia vsq; ad nonam, quoniam tunc inueniunt escam sibi quâ capiunt in aëre, vermes volantes scilicet, apes, vespas, scarabeos & huiusmodi, vt sunt illæ quæ dicuntur syrenz.

CAPITVLVM X.

De modo exitus terrestrium ad pascendum, & de reditu, & statu ipsarum.

Modus autem quem habent aues terrestres in exeundo de suis mansionib⁹ ad pascua, multiplex est, nam quædam congregatæ exeunt
in tur-

in turmas multarum suæ speciei, quædam verò singulariter: congregatę, vt turtures & columbi præcipuè sturni quæ licet tempore se ab alijs masculus cum femina sua ad pullificandum, tamen diligunt societatem, & visæ sunt eo tempore societate. Singulariter verò volant ad acquisi rapaces, & tantum in tempore partus & pullificationis mas cum femina, sicut ceterę. Quarum rapacium quædam, sicut quoddam genus volando capiunt escam suam, locustas scilicet, bruchos & modum scarabeorum, quæ omnia capiunt nõ cum rostro sicut alię capiebant, sed cum pedibus, & comedunt eos etiam in volando, quoniam non est eis opus occidere huiusmodi escam, neque præparare: & plures modi auium rapacium dum iuvenes sunt comedunt huiusmodi cibos, præcipuè modi falconum. Et quædam terrestres ambulando exeunt congregatę in multitudine, vt modi perdicum, præterquam in tempore coitus. Alię verò ambulando singulariter exeunt, vt phasiani & coturnices, nisi quando sunt pulli, tunc enim multi sequuntur matrem, quando exeunt ambulantes ad pascendum. Auiculę verò terrestres volitando exeunt huc & illuc per arbores & dumos & per terram, nam de rapaces accipiunt escam. Vultures verò & illę generis habent hunc modum exeundi ad pascendum, rupibus, vel super prospiciunt circum

C

remo-

remotis, vt videant aliqua indicia cadauerum, quæ indicia ab hominibus, si vident eos occidere animalia, vt ad cadauer lupis & huiusmodi feris, quæ venando occidunt animalia. Cùm igitur hæc indicia viderint, recedunt illuc omnes subito & congregantur ad corpus, & si stantes in rupibus altis, aut super arborem non viderint aliquid de signis prædictis ascendunt ad aëra in sublime, circumuolando huc & illuc, vt ad loca magis remota videre possint, & si vnus de ipsis subito descendat ad cadauer, cæteri motus illius cognoscentes quos facit, ad descendendum subito in insequuntur illum, & descendunt congregantes se multi, vbi erit cadauer. Non est ergo tenendum, quod odoratu sentiant cadauer, vt quidam dicunt, sed potius visu, quod expertum est per nos pluries, etenim quando vultures erant ex toto ciliati, non sentiebant carnes proiectas ante ipsos, quamuis odoratum non habebant oppilatū. Experti sumus etiam, quod non rapiunt aues cùm famelici sunt, & videntibus proiecimus pullos gallinæ, & non capiebant illos, nec occidebant, & cùm intro mittant caput suum & collum per strictum foramen cadaueris intus in cadauere extrahendo, quicquid est intus per id foramen, caput & collum eorum est sine pluma, vt in pluribus.

CAPI-

CAPITVLVM XI.

De medijs auiibus, quibus modis acquirunt sibi escam, quando & quam.

Motus & operationes, quas habent aues mediæ ad acquisitionem cibi multiplex est, nam quædam discurrendo huc & illuc & velociter locum commutando, acquirunt sibi cibum cauando, aut mordicando cum rostro, vt corlini, pluerij, & vanelli & huiusmodi; quædam ambulando & non discurrendo, sed volando de loco ad locum, quando transmutant loca ad acquisitionem, & cauando sc. cum rostro quæ sunt sub terra, & mordendo cum rostro quæ sunt super terram, vt grues: quædam ambulando & piscando cum rostro reptilia, quæ sunt sub terra, aut cætera de quibus viuere possunt, non tamen mordicant cum rostro ad colligendum grana, aut herbas aut fructus arborum vel herbarum, quoniam de huiusmodi non viuunt, vt sunt ciconiæ albæ & nigræ & mediæ, non natant sed sunt boni volatus & ab aquis sæpe recedunt, & vt maneat in terra, & vt pascantur illis.

CAPITVLVM XII.

De diuersitate ciborum, quibus vtuntur mediæ aues.

Diuersitas ciborum quibus vtuntur mediæ aues talis est: Quædam viuunt nunquam de rebus aquaticis sed de campetricibus, scilicet

36 DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

de granis radicibus herbarum, & feminib⁹ fructuum, arborum & herbarum & dumorum & similibus, vt modi gruum, cauant autem libenter radices herbarum, & libentissimè yari. Quædam de vermibus quos cauant sub terra, & aliquando de illis quos inueniunt super terram de locustis scil. bruchis. & cæteris vermib⁹ volatilibus, & non volatilibus, quos inueniunt etiam super herbas, in pratis, & in paludosis locis, & in terris aratis, vt sunt genera corlinorum, vanelli, pluerij, & speciei suæ similes, habentes rostrum longum ad modum corlinorū, quorum maior pars vitæ est, cauare sub terra. Liuercini verò comedunt sæpius scarabæos bruchos & huiusmodi. Quædam comedunt pisces vermes, & reptilia, & comedunt de animalibus lacertas, ranas, mures & huiusmodi, quæ essent hominibus & pluribus animalibus venenosa, vt sunt modi ciconiarum.

CAPITVLVM XIII.

De exitu quarundam mediarum.

EXeunt autem de suis mansionibus quædam de medijs, hora indeterminata, mane scil. vel quacunque hora poterunt, & tota die sunt in locis palcuorum de quibus viuunt, vt corlini, vanelli & huiusmodi. Quædam verò bis in die. Illæ scil. quæ habent mansionem & refugium ad aquas quemadmodum aquaticæ, sicut sunt grues, & bis redeunt ad aquas; & illæ quæ manent in terra, & habent plus refugium in terra, similiter bis in die exeunt de suis mansionib⁹

tionibus ad pascua, vt ciconiæ: Quædam verò non audent exire de die, nocte tamen volant, timent enim de auibus rapacibus, vt liuercini & huiusmodi.

CAPITVLVM XIV.

De exitu mediarum ad pascendum, & de statu ipsarum in locis pascuorum.

Modus exeundi multiplex est: nam quædam de medijs exeunt congregatè, præterquàm in tempore pullificationis, vt grues, corlini, pluerij, vanelli, & huiusmodi: Quædam diuisim, vt ciconiæ, quæ solitariè exeunt, & solitariè stant, & solitariè redeunt, liuercini etiã singulariter vadūt ad pascua. Aliæ verò confuse & sine ordine, modò solæ, modò cum alijs.

CAPITVLVM XV.

De reditu mediarum & statu ipsarum in mansionibus.

Loca verò ad quæ exeunt sunt diuersa, per diuersitatem temporum: generaliter verò omnes vadunt ad loca in quibus abundant cibi, quibus vtuntur quælibet species, secundum maneriem ciborum de quibus viuunt. Specialiter tamen dicitur infra, cum dicitur vbi inueniri possunt quando aues rapaces jactari debent ad huiusmodi aues. Redeunt autem quælibet ad suas mansiones, ad pernoctandum illic, vt tutiores sint à feris, propter quod secu-

rius dormiunt : in campis verò per noctem sæpius dormiunt vanelli. Ciconiæ verò ad turres, aut arbores, aut alia loca alta, grues verò ad aquam, quemadmodum & aquaticæ, & vniuersaliter omnes aues redeunt ad mansiones quas elegit mater in pullificando, elegit enim conuenibiliore mansiones ad tutelam filiorum, & si non habebunt easdem, eligent sibi mansiones similes illis mansionibus in quæ nidificant matres, quædam tamen pernoctant in campis quiescentes in terris, vt quidam modus columborum, qui habent rostrum croceum, & sunt minores alijs columbis, præter quasdam quæ pullificant in terra, de nocte tamen ascendunt & permanent in arboribus, vt sunt Fasiani, gallinæ & huiusmodi. Dormiunt autem & aues mediæ super vno pede, quemadmodum aquaticæ & terrestres, tam rapaces quàm non rapaces, propter id quod dictum est.

CAPITVLVM XVI.

De transitu auium.

Quia iam dictum est de auibus non rapacibus aquaticis, medijs & terrestribus, id quod dicendum erat: nunc videndum est de mutatione locorum, quam faciunt aues secundum mutationes temporum. Verum cum duplicem mutationem faciant, scil. de frigidis locis ad calida, & de calidis ad frigida, dicetur prius de illa mutatione, quam faciunt de locis frigidis ad calida. Hanc enim, postquam . . . & perfectæ viribus & pennis . . . faciunt, & hæc

& hæc mutatio est transitus seu passagium; de frigidis namq; regionibus transeunt ad calidas regiones, de locis natiuitatis suæ ad longinqua. Alia verò mutatio quam faciunt, est post hyemis tempus, scil. de calidis regionibus ad frigidas, idque propter hoc dicitur reditus. Sed quia non omnes aues hanc mutatione faciunt, attendendum erit, quæ transeunt, & quando & quare transeunt, quem modum habent parandi se ad transitum, quod tempus anni, & quarum qualitatum tempora cõueniunt transitui earum, & quæ transeunt prius, & quare prius illæ, quem ordinem tenent dum volant transeundo, de quibus locis transeunt, ad quæ loca descendunt dum transeunt, & ad quæ loca transeunt, quare morantur in locis ad quæ transierunt, & quàm diu.

CAPITVLVM XVII.

Quæ aues transeunt & quando.

TRanseunt autem aquaticæ, siue sint de illis quæ viuunt de piscibus tantum, siue de illis quæ viuunt de piscibus & alijs rebus aquaticis, siue de illis quæ viuunt de rebus terrestribus, & non de piscibus neq; de rebus aquaticis, siue sint de illis, quæ viuunt de rebus terrestribus & aquaticis, quæ nunquam sunt boni volatus. Mediæ similiter transeunt, præcipuè illæ quæ viuunt de vermibus quos cauant e terra. Aues autem terrestres transeunt tam quàm non rapaces, tam magnæ quàm

paruz, non tamen aquaticis namque de medijs & de terrestribus, illæ modici volatus aut infirmæ, hanc mutationem, præcipuè ad loca longinqua facere non possunt. Veruntamen loco huius mutationis, habent aliam ad loca propinqua, vt de montibus ad conualles tempore hyemis, & de vallibus ad montana tempore æstatis; quod faciunt terrestres vt fassiani, pauones, bistardæ, & generaliter omnes secundū plurimum, que non incedunt binæ & binæ, scil. vnus masculus cū sua fœmina tempore pullificationis, & tempore hyemis de aquis minus calidis ad calidiores, vt de fluminibus minoribus ad maiora, & de maiorib⁹ ad paludes & itagna & lacus, & de his ad quasdam maritimas propinquas, vel ad aquas fontium de profundo venientium, quoniam huiusmodi aque tunc sunt calidiores, & è conuerso tempore æstatis. Hoc faciunt illæ que sunt modici volatus, vt modi mergorum & ralli, & illæ que sunt boni volatus, quando infirmitate aut debilitate detinètur, hanc mutationem faciunt, non ad loca remota, vt prædictum est. Illæ autem aues quæ propter infirmitatem transire non possunt, cū sint de specieb⁹ transeuntium, in regione in qua manent vocantur Payfanæ, & in sua patria commorantes. Aues autem illæ que nascuntur & inhabitant in India, & in regione quæ est sub æquinoctiali vel prope, illic nidificant, & suos filios nutriunt donec perfecti fiant, nec indigent vt transeant ad acquisitionem cibi sui aliàs, neq; vt fu-

LIBER PRIMVS.

vt fugiant nimietatem frigoris. Cùm enim sol bis accedat ad centrum capitis habitantium illic, & bis recedat, & bis superfit, habent duplex ver, duplicem æstatem, duplicem autumnum, & duplicem hyemem, & ideo fructus, herbas, semina, locustas, bruchos & huiusmodi habent in abundantia, nec frigus hyemale est eis infensum, cùm sol non elongetur à capitibus eorum nisi ex viginti tribus gradibus & minutis: Præterea cùm v. e & ætate nutrant & per compleant pullos, quemadmodum & ceteræ omnes, si transire vellent fugiendo calorem, vel citra æquinoctialem vel ultra, si est habitatio illic, aut facerent hoc cum motu solis illic, aut è conuerso, si cùm motu solis, sequerentur calorem, sed multò magis indigebant fugere, quando maior erat calor, scil. cùm nidificabant & pullos nutriebant, sed tunc non fugerunt, quare neq; nunc oportet eas fugere aut transire, nisi fortè dicatur de his, quemadmodum & dealijs, quæ non sunt de transeuntibus, quod particularem mutationem faciant de conuallibus & planis ad montana & syluosa, & de aquis calidis ad frigidas vt fugiant calorem, & è conuerso, vt fugiant frigus.

CAPITVLVM XVIII.

Quare transeunt aues.

CAusæ autem propter quas aues hanc mutationem faciunt, & transeunt ad loca remota sunt plures, vna principalior alijs, quæ est

DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

mutatio temporum de calore in frigus, aues enim sicut & cætera viuentia, esse suum, & suam vitam receperunt ex quadam temperie commixtionis elementorum, & propter hoc, cum temperatū ex temperato seruetur, & ex distemperato calido vel frigido destruat, ipsæ aues ad suum bene viuere quarunt temperiem aëris & loci, & fugiunt immoderantiam frigoris, immoderantiamq; caloris. Vnde vere siquidem & æstate in frigidis locis commodè commorantur, autumno verò & hyeme incommodè morarentur in eisdem, propter hoc transeunt tunc ad calida loca quamuis sint remota. Aliæ causæ sunt minus principales prædicta, vna videlicet vt illic inueniant sibi cibum. Nam cum contingat in frigidis regionibus aquas congelari per frigus, & in glaciem firmari, & herbas desiccari, & terram superficie tenus solidari in tantum quod semina herbarum, & fructus, & cætera quæ ceciderunt in terram adhzreant & solidentur cum terra, & vermes qui sunt sub terra tunc non possunt haberi, imò cum scarabæorum modos, vermiculos volantes, apes, vespas & huiusmodi oporteat præ nimio labore deesse, necessariò aues quæ viuunt de piscibus, rebus aquaticis, herbis, & cæteris prædictis cuiuscunque generis sint ipsæ aues, confugient ad loca calidiora, vbi nec aquæ congelantur, nec terræ, nec cibus ipsorum deest. Aues etiam rapaces transire oportet, quamuis possunt sustinere frigus melius cæteris, cum sint eis calidiores. Nam vt viuant sapius de alijs auibus cuiuscunque

cunque speciei, quas rapiunt, & quas tenere possunt, cum illæ aues quæ sunt esca sibi, transeant, & ipsæ transeunt sectantes escam suam, & temperiem aëris etiam. Aues etiam minoris quantitatis, vt cardilli, meruli, sturnelli, maluitij, seu turdi, & huiusmodi auiculæ, & propter temperiem aëris, & acquisitionem cibi sui transeunt: sed grues, aprones, anseres, anates, & huiusmodi multo magis propter intemperiem aëris transeunt. Mediæ verò vt sunt ciconiæ, corlini, pluerij, vanelli, & quæcunque habeant rostrum longum ad modum corlinorum, pro eo quòd non possunt cauare sub terra ad inuentionem cibi, & liuercini, qui viuunt de scarabæis, ranseunt ad loca calida, quamuis sint remota, vt illic viuant. Alia causa est, imbrium, ventorum, & niuium abundantia tunc temporis in regionibus frigidis, quæ omnia contraria sunt volatui auium & vitæ. Alia causa est specialis pro aquaticis auibus & medijs, quæ submergunt se in aquis pro timore auium rapacium, & pro timore, quem habent de feris, manent in aquis ad sui defensionem, conuenit vt per frigus congelans perdant hanc suam defensionem, & fugiant ad calidiora loca, transfuolent vbi non congelantur aquæ. Patent itaque causæ, quare transeunt de frigidis regionibus ad calidas, & quomodo illæ aues, quæ non sunt de transitu, secundum mutationem temporum mutationem faciunt ad loca propinqua.

CAPITVLVM XIX.

De modo quem habent aues parandi
se ad transitum.

HAbent autem hunc modum parandi se ad transeundum, non statim quod exeunt de nidis intendunt ad hoc, nondum enim potentes sunt viribus, nec firmæ pennis, vt possint sufficere ad transeundum ad loca longinqua; nec instat frigus compellens eas recedere, nec carent cibo; donec firmantur in prædictis, hoc est, in fine veris, & per totam æstatem, volitant per regiones propinquas nido, & pascuntur confuse hûc & illûc, quandoq; cum auib; suæ speciei, quandoque cum alijs, quandoq; solitariè, recedente verò iam æstate, pro eo quod sentiunt debere aduenire frigidû tempus, dimittunt loca natiuitatis suæ, & congregant se cum auib; suæ speciei, non solum pulli cum pullis, sed indifferenter iuuenes cum senibus, siue sint pulli earû, siue non, & sic congregata transeunt & pascuntur in regione sunt diuisi expectando quousq; tempus eis feruiat ad transeundum. Huiusmodi verò congregandi se, præparandi que locum habent, in aquaticis, omnib⁹ quæ sunt de transitu, & in terrestribus, præter in rapacibus, sicut dicitur in suo capitulo. De medijs verò terrestribus & aquaticis, adeò verû est quod se congregant cum multis suæ speciei, videtur enim quod quamuis sint diuersarum specierum, & valde similibus, & quàmuis pascantur in eisdem pascuis,

pascuis, exeunt quasi mixtæ, rarò tamen aut nunquam aues vnus speciei commiscebunt se alijs auibus, nec tantùm sunt propinquæ, sed semper retrahent plus se ad aues suæ speciei, quemadmodum est videre in generibus anserũ, quæ licet vno nomine anseres communi dicantur, & sint plures species anserum, sicut species illarum quæ dicuntur rosæræ, & species illarum quæ dicuntur Carbonæræ, & species berniclarũ, & species lantabum, Ipsæ enim quamuis simul videantur in eisdem pascuis manere, tamen se separant illæ quæ sunt vnus speciei ab alijs diuersarum specierum. Amplius, secundum quod frigus successiuè & gradatim in quibusdam locis sic ipsæ aues gradatim transeunt de quibusdam locis ad alia, & secundum quod frigus minus potest in vno loco, quam in alio, sic ipsæ in parando se ad transeundũ, plus morantur in vno loco quàm in alio.

CAPITVLVM XX.

De tempore anni, & temporum qualitatibus, ipsarum transitui conuenientibus.

TEmpora verò ventosa, quæ conueniunt ad mutandum se ad loca in calore & frigore conuenientia sibi, secundum permutationem temporum, cognoscunt aues quadam vi animæ præfaga futuri, & naturali sensu, qui est eis secundum permutationem caloris & frigoris; vnde ad hyemem & æstatem permutant loca ad transeundum. Igitur tempora autumnũ conue-

cōueniunt, est enim tempus autumnū medium inter æstatem, (in qua susceperunt vires, & percreuerunt eis pennæ) & hyemem futuram, cui⁹ frigora timent. Elegerunt itaque hoc tempus, cum in eo recesserint à frigidis regionibus, & ad calidas accesserint, priusquã hyems veniat. Cauent à ventis contrarijs suo transitui, & ab imbris & grandinibus, eo tempore in quo non sunt venti, iuuantes autem ventos attendūt, Septrionales siue collateraliter siue directè à tergo faueant eis, & hoc attendunt non minus sapienter, quàm nauæ, cum talibus namq; ventis de duobus laborib⁹ quos faciunt transiendo, vnum in impingendo se, alterum in regendo se in aëre, releuantur, præcipuè ab impulsione sua, tales enim venti impellunt aues transeutes, si enim vtrumque laborem simul haberent, non possent diu volare; nec ad loca longinqua; etiam quando transeunt cum vento, si volunt quiescere alis, possunt, & tamen vadunt, sustinente & prouehente ipsas vento, & si quando non esset ventus, vellent transire, magnus labor esset eis, & multo maior si contra ventos transirent, haberent namque tres labores, sustinere se, impellere se, ventis obistere. Visum est namq; quando transeuntibus repente superuenit ventus contrarius, aut imbres magni, aut grandines, aut alia mala tempora, cadunt in mari, & si aliquæ de ipsis tunc possunt ad naues confugere, permittunt se capi, priusquam moriantur, aut quam cum vento contrario retrocedant. Et similiter videmus quod

quòd statim quod venti qui iuuant ipsas ad-
sunt, siue de die, siue de nocte, dimittunt omne
id quod faciunt, siue pascuntur, siue dormien-
tes quiescant, & arripiunt iter suum cum ven-
tis. Vnde & rapaces quib⁹ proiecimus prædam,
iam dimiserunt prædam quam sibi
& comedere volebant, & cum ventis transi-
bant; quæ aues non solum de die, sed & de no-
cte, si eosdem ventos habuerint, transibunt cū
ipsis ventis, & famem & laborem sustinent, quo
vsque fauent ipsi venti. Quæ autem de nocte
transeunt, cognoscitur ex vocibus earum, grues
enim, Ayrones, anseres & anates non ex labore
volandi quem sustinent, vt dicit Aristoteles, sed
magis vt aliæ alias aduocent, audiuntur de no-
cte proferre voces per aëra sursum. Adeo autem
cognoscūt de tempore & de vento, quòd si vi-
derint quòd tempus & ventus diu debeant du-
rare, & fauere ipsis quousq; transuolent ad loca
ad quæ vadunt, iter arripiant, sin autem, non;
similiter si debiles volatu sint, non attentant
arripere transitum, quousq; certè sint de tem-
pore bono prolixiore, imò remanent vbi sunt,
expectantes ad longius tempus quod
eis sufficiat. Si verò fuerint aues fortes volatu,
& sufficientes transire, cum illo modico bono
tempore, transibunt ad loca quæ petunt.

CAPITVLVM XXI.

**De ordine & transitu auium secundum
prius & posterius, & earum or-
dine dum volant.**

De au-

DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

DE auibus autem quæ transeunt, illæ quæ debiliores sunt volatu, prius incipiunt transire & transeunt, vt omnes auiculæ quæ naturam habent transire, sicut modi ciconiarum, & modi Ayronum, quæ in fine ætatis, scil. in fine Augusti, transeunt & recedunt, hoc autem faciunt, ne importunitas temporis primitiua eas impediatur, si amplius tardent ad transeundum. Aues verò quæ non sunt adeò debiles in volatu suo, vt supra dictæ, circa initiũ autumnii transeunt recedunt, scil. à medietate Septembris in antea, vt duplex modus gruum, species namq; gruum maiorum & species gruum minorum, potentiores sunt sustinere ventos & pluuias incipientes quàm auiculæ, quàm Ayrones & quàm ciconiæ. Illæ autem quæ sunt fortiores vltimò transeunt, sc. circa vltimum autumnii, & hoc est in mense Nouembris, vt anates & anseres, quæ ideo quod possunt melius sustinere ventum, imbres, & alias tēporis asperitates, tardius transeunt, adeo em̄ fortes sunt in volatu, & potentes sustinere frigus, quòd tam de quolibet modo anserum, quam Iancharum & Bernicharum, quæ similiter sustinent bene frigus, per totam hyemem, habentur plures in sexto & septimo climate, inueniunt enim illæ herbam de qua viuunt, & sunt boni volatus, propter quod tardius parant se ad transeundum, & tardius transeunt, sunt enim de fortioribus contra frigus, sunt autem tantæ sagacitatis & industriæ, quod non solum in temporibus dictis transeunt, sed aliquando

quando citius, aliquando tardius, secundum quod vna æstas breuior est alia, aut secundum quod tempora hyemalia citius incipiunt vno anno quàm alio, propter hoc anticipant, aut postponunt suum transitum quælibet species, quæ potius possunt vel melius sustinere calorem vel frigus, vel aliud malum tempus, secundum qualitatem & quantitatem suorum corporum. Amplius, auium eiusdem speciei, sicut gruum aut aliarum, illæ quæ de remotioribus locis Septentrionalibus habent transire, pro eo quod apud ipsas citius incipit frigus, & propter longum iter quod habent facere, citius properant ad transeundum; Illæ verò eiusdem speciei, quæ à minus remotis locis habent transire, quoniã tardius eis aduenit frigus, & quia breue iter habent facere, tardius incipiunt transire. Amplius, si tempus autumnii fuerit aptum & venti fauentes, sine intermissione transibunt, & citissimè complebunt transitum: sed si fuerit ineptum, vt frigus interueniat, & venti non faueant, tardius complebunt transitum suum, expectabunt enim semper, quòd illa temporis asperitas pertranseat, & aues, quantò magis sunt prope æquinoctialem, tanto tardius transire incipiunt. Ordinem autem hunc seruant in transeundo; omnes enim illæ aues, quæ de riuera dicuntur, non confusè volant nec inordinatè, quemadmodum volant illæ quæ terrestres sunt, nam terrestres non attendunt in suis volatibus quæ prior sit in illa multitudine, aut quæ posterior, ipsæ verò de riuera ad plus hunc

D ordinem

ordinem seruant, vna præcedit, alix omnes de illa multitudine subsequuntur successiue & in gemina serie, vna series erit à dextris, alia à sinistris, & . . . erunt plures in vna serie, quàm in alia, quæ appropinquabunt præcedenti, vtrumq; in modum linearum, coniungentium ad faciendũ quemcunq; angulum, & aliquando in vna serie solùm. Et istum ordinem seruant non solùm in transeundo ad loca remota, & redeundo de illis, verùm etiam in exeundo ad pascua & redeundo de pascuis, vt prædictum est. Vna autem præcedit semper, maximè enim in multitudine gruum, non pro eo quod illa sciat loca, ad quæ ituræ sunt, & alix non, sed vt præuideat nocumenta, & alias reddat vociferando aut deuiando cautiores, reliquæ namq; in tutela illius quæ præcedit, quæ dicitur Dux, asscurantur in volatu suo, sed quoniam labor est illi Duci diu præcedere, non solùm per volatum, sed propter sollicitudinem quam habet, & propter timorem, exit de Ducatu suo, & de ordine, quoniam amplius hunc laborem tolerare non potest, & alia succedit ei in Ducatu, quæ verò exeunt, reintrant ordinem aliarum. Non est ergò verisimile quod scibitur ab Aristotele, quòd vna semper sit Dux aliarum, nam si verum esset hoc, non permutaretur Dux, sed semper duceret.

CAPITVLVM XXII.

De quibus locis transeunt, & ad quæ loca transeuntes descendunt.

Loca

LOca autem de quibus recedunt ad transeundum sunt, secundum plus, loca Septentrionalia, quantumcunq; remotiora esse possunt, in quibus aues possint habitare, & loca etiam septimi climatis, in illis namq; locis est maior copia auium aquaticarum & ceterarum, quam in alijs locis citra septimum clima, quod infra patebit. Non solum etiam de illis locis recedunt ad transeundum, sed & de alijs climatibus ferè omnibus, scil. de sexto, quinto, quarto & tertio climate; vt generalius comprehendantur, omnes aues quæ sunt de transitu, per hyemem non remanent in locis quibus nascuntur, sed de illis locis recedunt & transeunt ad calidiora, nam si non transirent, malè dicerentur de passagio, nisi fortè infirmitate aut debilitate detineantur in locis suæ natiuitatis. De secundo verò & primo climate, non est opus quòd transeant ad fugiendum frigus, illa nempe climata etiam per hyemem sufficienter calida sunt. Et si de aliquo loco contingat eas transire, transeunt ad loca propinqua, vt prædictum est. Maior itaque pars transeuntium transeunt de locis Septentrionalib⁹, confugientes ad loca Meridionalia. Loca verò ad quæ descendunt, dum durat tempus transitus earum, sunt loca conuenientia vnicuiq; speciei earum, sc. ad aliquam terram vnde habeant cibum, vel ad insulas. Sciendum tamen est, quòd postquam transire incipiunt, non descendunt quousq; perueniunt ad locum ad quem transire intendunt, nisi aut necessitate famis quam

D 2

habent.

DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

habent, aut per fatigationem aut per ventum contrarium. Descendunt igitur aut per ventum contrarium vt quiescant à fatigatione, & vires resumant, aut vt pascantur. Sic autē transvolant de regione ad regionem, de insula ad insulam, quousque perueniunt ad loca in quibus hyemare debent.

CAPITVLVM XXIII.

De locis ad quæ transeunt, & quare.

Loca vero ad quæ transeunt fugiendo frigus, vt in eis hyemant, sunt diuersa,

Apparet in autographo aliquot paginas hinc deesse, quibus auctor de locis ad quæ aues transeunt, & de causis cur ad illa ipsa transeant, atq; de earum reditu videtur disputasse. Quæ deinde sequuntur ad disputationem de auium membris pertinent.

pulli à generatione, per quam habent comparationes diuersas. Aues enim si haberent membra sua vnus ferè quantitatis, quamuis diuersarum specierum, vniformi essent comparatione contentæ, sed cum habuerint membra sua diuersarum formarum ab inuicem, & magis diuersarum à membris auium alterius speciei, necessario varias exercuerunt operationes & multò magis varias ab auiibus alterius speciei.

Membra igitur auium sicut & animalium gressibilem & natalitium, duobus modis fiunt, quedam consimilia, quedam officialia. Consimilia sunt, quorum partes eiusdem nature sunt

cum

cum toto, & sunt hæc ossa, cartilagines, nerui, ligamēta cordis, venæ, carnes & pinguedo, panniculi cutis, plumæ, & vngues, de quibus omnibus pauca dicemus secundum se, nisi forsam in tangendo naturam illorum membrorum, quæ componuntur ex eis, in consimilibus enim membris, secundum eorum essentiam, nullam aut modicam habent aues diuersitatem. Officialia verò membra constituta sunt ex diuersis consimilibus, & partes eorum non sunt eiusdē naturæ cum toto. Quæ officialia distinguuntur ab inuicem & figura, & quantitate, & numero, & positione, & sunt quædam eorum quæ sensui subiacent, quædam verò interiora quæ non subiacent sensui, per quæ vtraque aues exercent operationes sibi necessarias ad saluationē suam, secundum se, & secundum speciem. Nec est opinandum quòd propter operationes quas faciunt cum membris, membra ipsa receperint talem suam formam, conuenientem scilicet illis operationibus, sumerent enim causam hoc modo à posteriori, quæ potius sumi debet à priori, membra siquidem prius sunt secundum naturam, deinde virtutes, quæ manifestantur postmodum per actus & operationes suas, quemadmodum actus per obiecta. Patet itaque quod operationes posteriores sunt suis membris, cum sint post virtutes, quæ sunt post membra, omne enim quod est posterius posteriore, est posterius priore multò magis. Sed dicendum quòd virtus informatiua, materiam quam habuit in loco debito, naturaliter aptam recipere formas

membrorum varias, coaptauit & immisit in materiam huius auis formam membrorum similem membris parentum, quæ membra suas virtutes nata sunt tam à materia potente eas recipere, quàm à virtute generatiua informate. Præterea si natura generans, membra formasset propter operationes ad quas appropriata sunt, iam vnã speciem fecisset vt aliam perimeret, naturam rapacem vt non rapacem perimeret, ex quo sequeretur, vt vnã speciem creasset ad destructionem alterius, & secundum hoc esset in vna specie beneuola, in altera verò non, imò quod magis est, in vna fuisset beneuola & maleuola, vnaquæq; enim species inuenit in alijs speciebus quod sibi est nocuum. Potius ergò tenendum est, quod in vnaquæq; specie, & vnoquoq; indiuiduo cuiuscunq; speciei, sic natura prouidit & fecit de materia conueniente & habili, omnia illa membra quæ formare potuit cuiq; indiuiduo cõuenientiora, per quæ membra, ipsum indiuiduum perficit operationes sibi necessarias. Hinc est enim quòd vnumquodque indiuiduum, ex eo quod habet talem formam in suis membris, cum virtute insita eisdẽ, appetit operari per vnumquodq; membrum, quicquid formæ ipsius membri conuenientius est. Membra verò officialia exteriora auis, quæ sensui subiacent, in maiori parte sunt huiusmodi, caput, oculi, aures, nares, rostrum, collũ, spatulæ, artus, latera, venter, & anus, coxæ, tibiæ, pedes, digiti, dorsum, lumbi, branchiæ, cauda, perunctum, & alia huiusmodi. Interiora verò sunt,

sunt, panniculi velantes cerebrum, cerebrum, nucha, lingua, & alia membra, quæ sunt in ore, canna pulmonis, pulmo, cor, calula cordis, diaphragma, item isophagus, gorgia, & intestina, stomachus, splen, epar, renes, testiculi, matrix, & alia plura intrinsicæ, de quibus omnibus nostri propositi non est dicere; cùm neq; velimus dicere omnes operationes quas aues faciunt secundum quælibet sui membra, illorum verò membrorum officialium exteriorū & interiorum varietatem maximè ponamus, per quæ membra defendit se à nocumentis, & per quæ conuersari habet in proprijs habitaculis, & per quæ sustentatur in aère, & per quæ mutat loca, & illa quæ necessarium est scire in tractatu nostro de ægritudinibus. Habent siquidem aues membra propria prædictis operationibus, hoc aut multipliciter, aut enim vnum solum membrum vni soli operationi deditum, aut vnum pluribus, aut plura vni, aut plura pluribus. Et nos etiam plicitatem fugere volentes, & quoniam ad nostrum propositum non spectat, non dicemus inquisitè omnia de naturis membrorum, sed illa quæ nostro proposito pertinent, & à capite sumemus exordium.

Caput est membrum continens cerebrum, instrumenta sensuum, est autem constitutum de ossibus multis, craneo videlicet, & alijs multis, de lateribus & nervis præbentibus sensum & motum, de panniculis & de alijs pluribus officialibus membris deputatis sensui, de oculis scil. ad videndum, de aurib⁹ ad audiendum,

96 DE ARTE VENANDI CVM AVIB'

de naribus ad odorandum, de rostro & lingua ad gustandum. Est autem caput magni & necessarij iuamenti, continet namq; id à quo virtutes sunt principales & sensibiles, & motiuz, & iuuat in eo q, continet instrumenta sensus.

Aues autem diuersarum specierum, & etiam eiusdem speciei, magnam habent differentiam in capite, scil. in quantitate, figura, in numero partium suarum, & in positione earum. Sunt enim aues magni capitis, respectu sui corporis, vt modi bubonum & noctuarum, pluerij, vanelli, & aliz plures. Aliz sunt parui capitis in relatione ad suum corpus, vt modus vulturum, bistardz, pellicani, cinni, & aliz plures. Aliz habent caput proportionatum conueniens reliquo corpori, vt gallinz, colubz, & huiusmodi. Item quedam habent caput oblongum, vt anferes, cinni, & aliz plures, & in eadem specie sunt quz habent caput oblongum, quedam magis, quedam minus. Aliz habent caput rotundum, vt corlini, vanelli, pluerij, modusq; auium cauantium sub terra vermes, quz quamuis sint longi rostri, nihilominus sunt capitis rotundi. Item quedam aues habent caput sine plumis, quedam verò inuestitum plumis, quedam in capite carent plumis & lanulis, vt auis quz dicitur galeranus niger campester, habens rostrum & crura nigra, & sicut galeranus varius ex albo & nigro, qui libenter in Syria & in Aegypto, & in Orientalibus partibus sunt, huiusmodi enim in toto capite & vsq; ad medietatem colli, carent plumis & lanulis, & quidam modus

modus auium comedentium cadauera, quæ sunt albæ, habentes extremitatem alarum nigram, croceum colorem secundū rostrum vsq; ad medium capitis, hæcarent plumis & lanulis; grues etiam in vertice capitis carent plumis, quàmuis habeant pilos plutes supra caput, aliæ verò carent plumis supra caput, veruntamen habent illic lanulas, vt sunt genera vulturum, præcipue alborum. Illarum autem quæ habent caput plumosum, aliæ habent caput omninò sine crista, vt aues in maiori parte, aliæ habent caput cristatum. Habentium verò caput cristatum, aliæ habent cristam carneam & tenuem, desuper incisam in multis locis, vt galli, qui habent cristam rubeam super caput, & sub faucibus ad modum barbæ, & sicut sunt quædam aues aquaticæ, habentes rostrum rubeum, crura & pedes, dictæ anates de faraone, quæ sunt variaz, ex albo nigro & rubeo, habent enim inter nares & frontem, quoddam tenue carneum rubeum eleuatum ad modum cristæ, non tamen incisum, sicut est galli crista, & sicut sunt masculi cuiusdam modi cinnorum, habentium rostrum rubeum, ipsi namque habent super rostrum inter nares & frontem quoddam molle carneum eleuatum, ad modum vnus auellanæ, quæ dicitur crista eorum. Aliæ habent plumas eleuatas in medio capitis ad modum cristæ, vt vpupæ, & modus quidam psitacorum qui apportantur de India, de hoc enim modo vnam misit nobis Soldanus Babyloniz, albam pennis & plumis superioribus, sub lateribus verò ten-

dentem ad croceum colorem, & quædam habent plumas eleuatas per longum in medio capitis, & perlongatas ad modum crinium vsque ad dorsum, vt omnes modi Ayronum. Modus verò Bistardarum quæ habentur in desertis, habent pennas eleuatas in medio capitis per longum vsque ad dorsum, ad modum crinium seu trizarum. Aliæ verò habent plumas eleuatas super caput dextrorsum & sinistrorsum, ad modum cornuum, vt fagiani, bubones, & noctuarum modi. Aliæ habent plumas eleuatas super caput dextrorsum & sinistrorsum, & præter hoc plumas dependentes vtrinque à faucibus versus collum, vt quoddam genus mergorum. Et aliæ habent in medio capitis tres pennas descendentes inferius versus collum ad modum barbæ. Eleuatio autem harum plumarum super alias, apparet euidentius quando aues timent aut irascuntur, nam horripilant plumas, huiusmodi etiam plumæ in verè magis cunt & apparent. Item sunt quædam aues quæ habent super caput suum, quoddam durum eleuatum ad modum cornu, vt illæ quæ vocantur gallinæ de Indiâ. Item quidam visi sunt super habere caput quiddam durum vt . . . de simile speroni suorum . . . & aliquando duos cornua. Sunt præterea & aliæ plures diuersitates capitum in auibus, tamen parum aut nihil ad propositum valentes.

LIBER PRIMVS.
CAPITVLVM XIV.

Sequitur de oculis.

OCuli sunt instrumenta visus, de quibus quare sint duo, quare in prora capitis locati, & quare altius instrumentis aliorum sensuum, & quomodo constant ex tribus humoribus, septem tunicis, dictum est in libro animalium. Iuuamentum autem oculorum est videre, per quam actionem animal prouidet sibi nocuum & necessarium, vt illud fugiat, & hoc elingat. Differentia autem auium quantum ad oculos multiplex est, in quantitate, colore, & forma, quædam enim aues sunt magnorum oculorum in comparatione ad quantitatem corporis, quædam paruorum, quædam mediocrium, & quædam sunt nigrorum oculorum penitus, vt modi falconum, sed nigredo pupillæ in talibus intensior est nigredine albuginei humoris, & quædam sunt oculorum glaucorum in circuitu pupillæ, quæ nigra est, vt genera accipitrū, & nisorum, quædam sunt aliorum colorum, & alix mutant colorem in oculis secundum mutationem ætatum. Oculi autem auium vt in pluribus, clauduntur palpebris inferiorib⁹, quæ sunt in eis longæ, & sufficientes ad hoc, & quarundam auium oculi clauduntur à superiori & inferiori palpebra, carent autem palpebræ pilis; & aues super inducunt velociter suis oculis ad mundificationem ipsorum, quandam pelliculam palpebralem, & velociter retrahunt eandem. In oculis verò non minor est diuersitas, sed

DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

sed ad præsens non ad propositum. Cilia autem, quæ sunt multum prominentia super oculos ad defendendum ipsos, in auibus rapacibus sunt detecta, & plumis carentia, dura, & sic tenuia, vt ferè incidant: In alijs verò auibus sunt minus prominentia, & sunt plumosa.

CAPITVLVM XXV.

De auribus.

AVres auium sunt instrumenta auditus earum, quæ sunt foramina duo post oculos, tendentia ad occiput. Ista duo foramina sunt intrinsecus tornatilia, vt torcular, sunt in osse petroso, vnum à dextris alterum à sinistris, nec habent exterius cartilaginem, quæ auricula seu buccina auris dicitur, quod fit in illis auib⁹ solùm, quæ sunt de genere bubonum & noctuarū, & in quadã aue quæ dicitur Vhan, hæ enim habent pelliculam circa foramen auris, quæ quando replicatur, præterdit formam buccinæ auris humanæ patentis semper. Aures auium rectæ sunt in circuitu; in quibusdam plumis, & in quibusdam pilis duris. Iuuant autem aures in eo quod per eas auditur, & auditu perpendit auis, ex sono sc. delectabile vel detestabile.

CAPITVLVM XXVI.

De naribus, rostro, humeris.

NAres sunt duo foramina in superiori parte rostri; vnum in directo alterius, quibus perficitur odoratus & eisdem anhelatur, & per eas emittuntur superfluitates venientes à cerebro,

LIBER PRIMVS.

bro, vnde & vtrumq; illorum foraminum interius habet duas vias, vnam tendentem ad caput, alteram tendentem ad palatum, illæ autem viz quæ tendunt ad palatum, in ipso palato vno longo foramine sunt contentæ, quod foramen respicit versus cannam pulmonis. Iuuamentū autem narium iuxta descriptionem earum positum est. Aues enim habent diuersitatem in naribus, nam in quibusdam nares sunt rotundæ, in quibusdam oblongæ, in alijs perfractæ extrinsecus, vt in auibus aquaticis, in alijs est cartilago media inter vtramq; narem, & in quibusdam auibus caruncula est intus in naribus, in alijs prominens vsq; foras, vt in modis falconū, in alijs interius depressa & subiacens, vt accipitribus, & in quibusdam auibus non est caruncula in naribus, & quædam aues habent nares opertas in circuitu pilis duris, vt corui & huiusmodi, & quædam non opertas, & quædam habent nares suas interius tornatiles in modum testæ limacis, vt porfiræ, & quædam non sic, sed rectè perforatas, sunt & alijs multis modis nares & carunculæ auium, quos modos diligens inquisitio facile inueniet. Inter nares verò & oculos, quidam locus est in rostro mollis, & cedens tactui, habens cutem desuper, & duos panniculos subtus, vnum desuper alium, & sub illis est via patula, quæ prætenditur à naribus vsque versus cerebrum, & illinc transit superfluitas à cerebro veniens, & alia via tendens ad palatum.

**Rostrum est membrum corneum in capite
auis**

DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

auis positum, cum quo sumit cibum, cōstat au-
 tem ex duabus partibus, superiore & inferiore,
 quæ sunt ei loco mandibularum in alijs anima-
 libus, continentium dentes, partè superiori ro-
 stri contiguatur palatum, parti inferiori adha-
 ret lingua non tota, & subper iacet ei. Omnes
 aues mouent inferiorem partem rostri sursum,
 & superiorem deorsum, quando scil. est eis ne-
 cessarium, quàmuis Aristoteles dicat contrariū:
 hic verò modus in auibus raro est manifestus
 in rapacibus, sic & in pſitaco. Maximè autem
 iuuantur aues omnes ex suo rostro, in accipien-
 do cibum intrahendo in os suum, in perungen-
 do pennas suas, in scalpendo, vbi prurit & pos-
 sūnt attingere cum eo, & generaliter omnes de-
 fendunt se cum rostro à volentibus nocere eis
 rostro, & discernunt durum & molle, asperum
 & lene, tactus enim quamuis sit communis
 omnibus membris, magis vtuntur in tangen-
 do rostro, digitis & vnguibus. Diuersantur au-
 tem aues in substantia rostri, forma, quantitate
 & cæteris. Aliæ enim habent rostrum durioris
 substantiæ, vt rapaces, picones, ciconiæ, grues,
 ayrones & huiusmodi, aliæ mollioris, vt turtu-
 res, columbæ domesticæ, & faecha & plures aliæ.
 Alijs sunt rostra adunca, alijs recta, & alijs acu-
 ta, alijs dentata, & alijs non, & alijs serrata, alijs
 non. Sunt & aliæ plures formæ, quarum omnium
 exemplum facile est inuenire, & ex suprâ dictis
 poterunt plura perpendi. Aues aquaticæ natan-
 tes, quæ vtuntur piscibus & non alio cibo, ha-
 bent rostrum suum talis figuræ, quod conue-
 ueniebat

niebat eis comedere pisces, habent enim in ro-
stro vnde iuuantur contra lubricitatē piscium,
pisces equidem sunt lubricantes, & aqua facit
ipso amplius lubricare, & subtus fugere, sicut
videtur in pellicanis, qui habent rostrum lon-
gum & latum, asperum deintus, supra & infra,
ex in extremitate extrinseca superiori quasi
ungulam recuruam duram & scindentem, cum
qua capiunt pisces, & projiciunt intus in pel-
liculam, quam habent adhaerentem inferiori par-
ti rostri quasi saccum, quæ pellicula apta est a-
periri & claudi, in eam namque pisces incidunt
quasi in sagem, eo enim quod longum ha-
bent rostrum non dentatum, neq; incisum in
alterutram partium facile pisces poterant eua-
dere, propter quod adfuit illa pellicula in quam
incidunt & retinentur quasi in Modis
etiam mergorum habent rostrum cum aptitu-
dine, qua iuuantur in piscatione, habent enim
rostrum aliquantum longum & rotundum, in
extremitate curuum & acutum plus pellicano,
dentatum supra & infra vtrinq; subterlori verò
parti rostri adhaeret pellicula, quemadmodum
in pellicanis, non tamen tanta in proportione
sua, quanta in pellicano. Similiter in alijs au-
ibus aquaticis quæ viuunt piscibus, rostrum ha-
bet suam aptitudinem ad capiendum & retie-
nendum pisces, - verbi gratia ayrones habent
rostrum longum obrotundum acutum, antel-
tius incisuum, asperum, vtrinq; dentatum. A-
quaticæ verò quæ viuunt herba, secundum plus
habent aptitudinem rostri qua secant herbas,
scil.

64 DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

scil. rostrum dentatum interius, subtus & supra, etiam in lingua habent denticulos ad melius incidendum, quas incisas immittunt postea per isophagum ad ventrem. Vniuersaliter autem aues aquaticæ, mediæ & terrestres, viuentes de herbis, granis, & seminibus, vtrinque; habent rostrum aptum vt colligant, transglutiunt. . . . aquaticæ habent rostrum. . . . concauū & in mar. . . . quasi ferratum, vt sunt modi anatum, quæ collectis cibus in rostro suo, commouent rostrum quasi masticarent, & hoc faciunt ex vtroque; latere rostri, vt exeat limus terræ, & cæteræ superuacuitates quas colligunt cum granis & seminibus & alio cibo. Terrestres etiam quæ viuunt granis, habent rostrum aptū, obrotundum, & intus concauum, vt perdicum modi, coturnicum, & huiusmodi. Sed etiam de auiculis habentes rostrum durum, de granis quæ colligunt aptitudine rostri sui rumpunt corticem, & assumendo eijciunt medullam, vt passeris cardilli, psittacus, & huiusmodi, & hoc accidit vt melius digerant, quia sunt pauci caloris, sed habentes rostrum molle, non habentes aptitudinem eius ad rumpendum corticem, transglutiunt grana cum cortice, tam dura quàm mollia, vt columbæ, turtures fakecha, & plures alie rostri mollis, quæ habent calorem multum. Terrestres verò quæ carnibus viuunt solum; habent aptitudinem rostri ad hoc & vngues pedum iuuant ad hoc idem, quia non possunt ferre granum cum rostro, habent namque rostrum durum aduncum incisum & dentatum,

tatum, vt falcones & huiusmodi, non dentatum, vt accipitres & similes. Quæ verò terrestrium comedunt grana & carnes, habent aptitudinem rostri ad colligendum grana, & ad dilacerandum carnes, vt sunt corui, cornelli, cornicularum modi, picarum & monedularum, & similibus, habent rostrum incisuum & apertum pro carnibus incidendum, pro grano colligendo. Aues verò medix, habent rostra sua diuersimodè apta, nam aliæ habent rostrum concuum, intrinsecus longum, durum, anterius non perfectè acutum, cum quo cauant terram ad extrahendum radices, vt modi gruum. Sed illæ medix quæ viuunt vermibus quos cauant sub terra, habent rostrum conuenientis formæ ad sumendum sibi cibum, istarum namq; aliæ habent rostrum longum gracile, & anterius obrutundum & durum, vt quidam modus corlinorum, & aliæ habent acutius, vt pluerij & vanelli, & aliæ habent rostrum longum & curuum ad inferius, vt alius modus corlinorum, & aliæ habent longum & rectum, & in extremitate aliquantulum curuum, vt picaciæ & huiusmodi, & aliæ habent & acutum anterius, vt pluerij, vanelli, & aliæ habent longum gracile & recuruum, quæ verò habent rostrum molle, limo molli. Habentium verò longum & gracile rostrum, aliæ habent minus longum, aliæ magis, tamen habent vtræque anterius durum & grossum, in modum clauæ, quæ molliorem habent interiorem partem rostri, & mediam, &

E

vsque

vsq; versus caput, quã antèrius, per quod molle discernunt, an sit cibus eorũ, quod cauauerunt subter terram, visu namque discernere non est eis aptum, cùm non videant terrã dum cauant; sed illæ quæ colligunt grana, & alium sibi cibũ super terram, visu discernunt inter cibum eorũ & non cibum, nec habent rostrum tam molle, quod gustu possint discernere bene inter cibũ & nou cibum. Aliæ etiam formæ rostrorũ sunt multiplices, per quas diuersimodè assumũt sibi cibum, quas difficile esset enumerare & longũ.

De crista verò quæ superest capitibus, & subest faucibus in quibusdam auibus, & decornibus etiam quæ nascuntur super capita quarundam auium, dictum est, quomodo se habeant, in capitulo, de diuersitate capitum, de eo vero quod superest rostro dicetur, vbi dicetur de rapacibus. Collum verò est membrum quod sustinet caput, & est mediũ inter humeros & caput & constat ex plurib⁹ partibus, quoniã continet cannam pulmonis, isophagum, renas, arterias, neruos, lacertos, spondiles multas coniunctas inuicem, ligamentis continuatas. Habuit autẽ collum plures spondiles; vt sustinendo caput per suas iuncturas & flexiones, portaret caput dextrorsum, sinistrorsum, sursum & deorsum, ante, retrò, ad voluntatem auis, mediantibus musculis & neruis ab occipitio descendentib⁹, & hoc est iuuamentum colli. Diuersitas autem auium in collo multiplex est, quædam enim habent collum longum, & harum quædã plus, quædam minus; aliæ habent collum curtum;

& ha-

& harum quædam magis curtum quædam minus curtum. Item aliæ habent collum grossum, aliæ gracile, & aliæ plumosum, aliæ sine plumis lanulosum tamen. Quantitas autem colli in omnibus auib⁹ vniuersaliter posterius protenditur à capite vsque ad principium dorsi, anterius vsq; ad furcam pectoris, & dextrorsum & sinistrorsum vsque ad humeros. Longum collum habent plures de auibus medijs, vt modi gruum, & ciconiarum, & aues aquaticæ natantes non submergentes se penitus, habent longum collum, vt modi cinnorum, & pellicani, & anseres, & non natantes, vt ayrones. Longitudo autem colli aut rostri aut vtriusq; simul necessaria fuit habentib⁹ longa crura cuiuscunque modi sint, maximè pascentibus super terram. Cùm enim corpus sustentetur ab altis cruribus, non possent colligere sibi cibum de terra, nisi haberent longitudinem in collo, & in rostro, aut in vtroque; non tamen illæ quæ habent hanc longitudinem, necessariò habent longa crura, cinni namq; pellicani, & anseres, longitudinem habent, in prædictis, tibias tamẽ curtas. Breue tamen collum habent aues terrestres in maiori parte, & breuius quam aquaticæ & medix: sed breuissimum omnium habent bubonum & noctuarum modi, & cæteræ aues rapaces, & ideo habent collũ fortius, quoniam cum paucioribus iuncturis, ex hoc sequitur, q̄ trahunt validius cum collo, quàm non rapaces, cuiuscunq; generis & modi sint. Grossum collum habent multæ auium, quemadmodũ ma-

sculi & foeminæ bistardæ, sed masculis ingros-
 fantur multò amplius tempore coitus, vt qui-
 cunque viderit possit iure admirari, nam alijs
 temporibus ad consuetam grositiam reuertit-
 tur, foeminis verò tempore coitus & alijs tem-
 porib⁹ est eadem grosities, cur autem hoc eue-
 niat, inquirendum relinquimus audienti. Gra-
 cile collum habent modi corlinorum & ayro-
 num. Plumosum collum habent ferè omnes a-
 ues, sine plumis verò, vt modus vulturum. Om-
 nes aues dum volant, tenent collum extensum,
 præter pellicanum & ayronem, qui collo repli-
 cato ad se & contracto volant, ayrones tamen,
 quando propter timorem conantur, volando
 extendunt collum. Humeri autem seu spatulæ
 sunt quibus coniunctæ sunt alæ, & inter hume-
 ros collum descendit ad reliquum corpus; sunt
 autem duo humeri, vnus ad dextram, alius ad
 sinistram, & sunt altiores lateribus, & ab ipsis
 incipit distinctio alarum à corpore. Constant
 autem ex tribus ossibus, neruis, musculis, liga-
 mentis & chordis; ossa verò tria concatenata
 sunt & colligata in humero hoc modo, os fur-
 culæ, quod incipit ab initio altitudinis pecto-
 ris, eidem priori alligatur quadam distantia
 suis cartilaginibus, suisq; ligamentis, quod os
 furculæ ab illo loco bifurcatur, & vnum pro-
 tenditur collateraliter à collo vsq; ad humerū,
 alterum ad alterum humerum, & sic collum
 intercipitur inter vtramque extremitatum cu-
 iusq; horum, coniuncta sunt autem ad duo ossa
 colligata sibi inuicem in eodem loco suis liga-
 mentis,

mentis, & illic faciunt angulum, nam vnum quod in extremitatibus suis est angulosum, sed in medio rotundum, descendit ab illa coniunctura & protenditur ad vnum principij pectoris ex sua parte, & ei contiguatur cartilaginibus medijs & alijs ligamentis, alterum verò protenditur ad dorsum, & supponitur costis prope spondila dorsi, hoc autem est curuum, & latum & debile, nullam penitus habens coniuncturam ligamento speciali, neq; colligationem alicui de ossibus in parte illa, vbi autem coniuncta sunt sibi inuicem hæc duo ossa ex parte alæ, quodam modo sunt concaua angulosa & cartilaginosa, & in eorum concauitate vertebrum primi ossis alæ, quod os medici dicunt armum locatum, & locatur & mouetur secundum motus diuersos sursum & deorsum, antè, retrò. Hæc autem duo ossa in coniunctione sua alterius ossis quod est de furcula pectoris, constituunt humerum, cuius humeri iuuamentum est, vt ala firmetur in eo, tanquam in sui centro, circa quod habent suos motus, & expositione ossium spatulæ, ala in suis spatulis motibus detinetur, vt nec plus debito supra ascendat, neque infra plusquam est necessarium descendat, neq; ante neq; retro plus debito relaxetur. Differentia auium in spatulis si tangatur parùm prodest.

CAPITVLVM XXVII.

De alis.

Alæ sunt membra, per quæ volatilia habent volare. Sunt autem duæ in auibus, alia

E 3

dextra,

dextra, alia sinistra, & sunt in auibus ad modū brachiorum in hominibus, & anteriorum crurum in quadrupedibus, constant autem ex pluribus ossibus coniunctis inuicem successiuè, & ideo plures habent iuncturas, quare melius reflectuntur, & nō solūm ex ossibus constant, sed ex nervis, venis, arterijs, musculis, chordis, & & cæteris ligamentis; ossa hoc modo sunt ordinata. Loco qui dicitur humerus, coniungitur quoddam os, quod medici dicunt armum, & vbi finit istud os, coniunguntur sibi alia duo ossa, quæ dicuntur focilia, quæ sunt distincta & separata ab inuicem in medio ipsorum, sed in extremitatibus sunt coniuncta & colligata, & vbi finiunt hæc duo focilia; coniungitur ei reliqua pars alæ, quæ videtur in auib⁹ loco manus in omnibus, & continet in se & contiguit plura ossa in diuersas iuncturas minores, ordinata hoc modo: primò sunt ossa minora, collocata super vertebrum illius ossis quod coniungitur focilibus, replentia vacuitates illius iuncturæ illic, & iocantia, quorum vnum exit longè extra alam, in auibus quæ percutiunt cum alis, & est durum, cum quo se defendunt & pugnant ipsæ aues, quæ habent ipsum foris prominens, vt in anseribus & cinnis, & in paruis paruum, & in magnis magnum. In hac reliqua parte est vnum os paruum semotum ab alijs, & hoc videtur esse loco pollicis, habens in sui extremitate forinseca quoddam subtile durum & acutum, in modum vnguis. Est & aliud os super isto gracile & debile, sup quod quoddammodo
appodiat

appodiat se pollex, sub isto gracili, est aliud os
grōssius, vnum in suis extremitatibus, diuisum
autem in duo, & fenestratū in sui medio, & vbi
finit iunctura, alia duo ossa breuia, vnum latius
reliquo, extremitati verò latioris, quod est su-
pra paruum, coniunctum est os vltimum alæ,
paruum & strictum. Hæc est ordinatio & con-
iunctura ossium.

Replicationes autem partium alæ hoc mo-
dò fiunt: quando ala reducta & recollecta est ad
corpus, pars illa in qua est armus, descendit ab
humeris iuxta latus, inferius versus ancham,
sequens verò pars, quæ incipit à fine armi, & est
locus cubiti, ascendit ad superius iuxta latus
primæ partis, reliqua verò tertia pars alæ, descē-
dit ab illo loco qui dicitur impulsorium alæ, &
gallicè dicitur lebout, vsque inferius. Fuerunt
autem in alis ad melius esse plures iuncturæ &
reflexiones, & non vna tantum, nam si vna fu-
isset, aut esset longa, aut breuis, si breuis, non
esset sufficiens sustentare corpus auis, neque fa-
cere quæ pertinent volatui: si longa, non repli-
carentur ad corpus conuenienter, nam si repli-
carentur ad inferius, pertransiret caudam, & im-
pediret sessionem auis, si ad superius, pertransi-
ret caput, & pennæ alæ essent apertæ & non co-
opertæ inuicem, nec essent tamen idoneæ ad
sui operationem, pro eo enim quod aues in di-
uersas partes habent se mouere necessariò, scil.
dextrorsum, sinistrorsum, antè, retrò, sursum &
deorsum, si alæ essent contractæ vna iunctura
sola, non conueniret ad variandos hos motus,

& si plures habuissent iuncturas quàm habent, cùm illæ quas habent sufficiant ad suos motus diuersificandos, alæ essent debiliores, cùm omne membrum debilius sit, quantò est plurimum iuncturarum, & essent impedimento cooperaturæ quam faciunt pennæ alarum inter se inuicem, & quarta iunctura si adesset, non replicaretur ad corpus, sed esset de foris, cuius pennæ non essent coopertæ sub alijs pennis vt conuenit, & si essent de foris, essent impedimêto pennis, quæ non essent sub coopertura, & illæ extremæ pennæ, quæ deberent descendere inferius, ascenderent superius, & esset inconueniens. Alis autem in sunt pennæ maiores per longum extremitatis posterioris earum, & plumæ minores in sunt alis supra & infra, eo modo qui dicitur in capitulo de plumagio. Mouentur autem multipliciter secundum voluntatem auis, scil. sursum deorsum, antè, retrò, extensiuè, & contractiuè, fiunt autem hi motus diuersi per alios & alios lacertos alarū, motus namq; qui fit antè, fit per lacertos anteriores, retrò verò, per posteriores, sursum per superiores, deorsum per inferiores, qui veniunt ab ala vsq; ad pectus, extensiuus verò motus alæ, & contractiuus seu replicatiuus, per alios & alios lacertos fiunt. Auis autem quando volat, motum alæ ad superius non facit, nisi gratia inferioris faciendi, ad hoc enim exaltat alam, vt ab alto descendat infra melius, & validius, & quæ auis altius extollit alas, & magis ad superiora dorsi replicat, motum inferiorem alarum validiorem faciet, per quem

quem motum subleuatur auis, impellitur & defertur, & quia hic inferior motus fit per lacertos ab alis venientes ad pectus, quarum auium grossiores & fortiores erunt hi lacerti, earum erit etiam hic motus validior, & per hoc impellitur fortius & velocius in volatu suo, de qua re Syllogizabo sic: Omnis auis habens grossiores & fortiores lacertos ab alis ad pectus, habet velociorem & fortiorem hunc motum in alis; Omnis auis habens grossius & densus pectus, habet grossiores & fortiores lacertos ab alis ad pectus: igitur omnis auis habens grossius & densius pectus, habet grossiores & fortiores & velociores motus in alis, & quæcunque habent huiusmodi motum, fortius & velocius volant. Amplius, motus vniuscuiusque alæ, qui fit ad volandum, est quasi pars circularis motus, & omnes pennæ maiores alarum mouentur similiter motu qui est pars circularis motus, sicut namque ala facit in suo motu portiones circuli, sic & quælibet penna alæ facit suam circuli portionem, & quæ penna propinquior est corpori facit portionem circuli breuioris, quæ verò remotior, maioris & amplioris, & portiones circuli quas faciunt singulæ pennæ, sunt de circumferentijs æquidistantibus, & ala quæ facit portionem maioris ambitus, & magis distat à corpore auis, iuuat magis subleuari aut impelli & deportari, quod ait Aristoteles in libro de ingenijs leuandi pondera, dicens quòd magis facit leuari pondus maior circulus. Iuuamentum autem alarum est in eo, quod per

motum suum fit volatus, quo volant aues, mutant loca ad acquisitionem cibi & aëris sibi cōuenientis, & quo fugiunt nocumenta, Et aliquæ aues defendunt se cum alis & pugnant, & per motum etiam alarum subleuatur corpus auis ad aëra, impellitur & deportatur, & per reductionem & replicationē alarum ad corpus, pars dorsi & latera ab importunitatibus aëris proteguntur. Differunt autem aues in alis multipliciter, nam quædam habent alas breuiores respectu sui corporis, quædam longiores, quædam proportionales. Rursus quædam habent alas longas & pennas alarum longas, quædam habent alas longas, & pennas alarum breues, & quædam habent breues alas, & pennas alarum longas, & quædam habent breues alas, & pennas alarum breues, amplius, quædam habent alas ad similitudinem falcis, multum scilicet falcatas, & quædam extensas, & nō multum falcatas. Sunt & aliæ differentię alarum, sed quæ dicta sunt, hunc sufficient.

CAPITVLVM XXVIII.

De dorso.

Dorsum est illud membrum quod ab inferiori extremitate protenditur vsque ad lumbos, inter alas & latera. Est autem ossuosum, quoniam constat in sui medio per longum ex spondilibus, quæ sunt post spondiles colli, vsque ad principium spondilium lumborum, & vtrinque constant iuxta suos spondiles ex
 vatione quam faciunt costę cum spondilibus

dilibus dorsi. Iuuamentum autem eius est, vt defendat corpus à posteriori. Diuersitas autem in dorso in eo est, quòd quædam sint amplioris dorsi, quædam strictioris, & quædam longioris, & quædam breuioris.

CAPITVLVM XXIX.

De lumbis.

Lumbi verò protenduntur à fine dorsi vsq; ad caudam, & sunt duo, dexter & sinister, & in sui medio continentur spondiles à fine dorsi vsq; ad caudam, & vtrinq; continent ossa lata, concaua desubtus, quæ dicuntur ossa anchorum, habentia circa sui medium quandam concauitatem quæ vocatur Scia, Iuuamentum autem lumborum est defendere renes ab exterioribus nocementis, & vt vertebra ossium costarum firmentur in foraminibus anchorum.

CAPITVLVM XXX.

De cauda.

Cauda verò avis dicitur quod superest ano, protensum exterius, constans ex spondilibus exterioribus spinæ, extenditur autem vltcrius dilatando, & innascuntur in ea pennæ maiores. Iuuamentum autem caudæ dicitur, vbi tractatur de plumagio. Aues verò in pluribus quæ habent longum corpus, habent breuiorem caudam, sed quæ habent breue corpus, caudam longam.

CAPIT

CAPITVLVM XXXI.

De peruncto.

Perunctum est quoddam membrum, quod superest caudæ, constitutum ex geminis quasi glandibus, in medio illarum prope finem est quoddam neruosum, durum, eleuatum ad modum virgæ. Iuuamentum enim huius peruncti est recipere à reliquo corpore humiditatem virulentam, quam receptam & in ipso congregatam, auis cum opus fuerit, comprimendo cum rostro suo suget, & cum eodem rostro pennas suas & vngues perungit, quatenus pennæ melius possint resistere madefactioni, aqua enim pluens super pennas perunctas minus adheret eis, & integrius & lubricabilius descendit, & pennæ saniores seruantur & vngues, rapacium verò vngues ex peruncto citius vulnerant, & sunt causa citius interficiendi prædam, Inferunt enim per hoc vulnera venenosa. Diuersantur autem aues in peruncto, nam aquaticæ generaliter multum habent de peruncto, & magis quàm mediæ & terrestres.

CAPITVLVM XXXII.

De pectore.

Pectus est membrum sub sui medio continens cor & defendens ipsum; ab anteriori parte eleuatum, prominens in medio sui per longum exterius, deintus autem concuum. Est verò ossuosum, hoc autem os strictum est, forte, & eleuatū in modum parietis in medietate sui;

pars

pars verò ossis pectoris altera à dextris, altera à sinistris subiacet, & hoc os in superiorib⁹ partibus sui, in quibus contiguatur cum furca pectoris & cum ossibus spatularum, densius & solidius est, in inferioribus verò partibus sui, ubi coniungitur loco qui dicitur ouaria, mollius est & cartilagosius, ramificatum autem est & distinctum in plures ramos ossuosos, in partib⁹ illis in quibus coniungitur lateribus. De continentia etiam pectoris sunt lacerti, venientes ab vtraq; ala ad pectus vtrinque, & propter hoc conuenienter descendebat os pectoris ab vtraque parte, vt illi lacerti reuerterentur in angulositatibus illis quæ fiunt ex osse medio, & duabus partibus subiacentibus; & est etiam nervus quidam ad longum protensus super altitudinem medij pectoris, coniungens vtrosq; lacertos illic; & in hoc apparet iuamentum multiplex pectoris, nam os in sui medio fuit eleuatū vt obsisteret nocumentis exteriorib⁹, & distingueret lacertos vnus alæ venientes ad pectus à lacertis alterius, quæ distinctio si non adfuisset, non posset moueri vna ala neq; pati, quin moueretur & pateretur altera. Concauitates verò angulosæ adfuerunt, vna à dextris, altera à sinistris, vt in eis locarentur lacerti; nervus protensus in longum adfuit desuper, vt quodammodo velaret & ligaret ad os medium lacertos, vtrinque concauum fuit inferius, vt cederet locum cordi, versus ventrem debuit esse mollius, ne duritie sua læderet mollitiem ventris, & idcirco in pluribus auib⁹ est pannosum pectus
inter

DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

inter ramos quos diximus, maximè super ventrem. Differunt autem aues in pectore, nam aquaticæ & præcipuè natantes, longius habent pectus vniuersaliter, & habent longius corpus quàm terrestres. Rursus in generibus falconum prominentia magis est rotundior & grossior, quàm in generibus accipitrum & nisorum. Os etiam illud quod eminet in pectore gruis, habet interiora sua vacua, in qua vacuitate locatur & reflectitur canna pulmonis, in reliqua verò parte sui, quæ solida videtur, non est soliditas, ne nimis esset ponderosum, sed quædam spongiositas, vt esset leuius ad portandum, cuius simile non est in ossibus pectorum aliarum auium, ossa enim magnarum auium respectu sui corporis, minus solida sunt, minusque firma, quàm ossa paruarum respectu sui: nam si essent solida in magnis auibus, essent ponderosa & difficilia ad portandum, in paruis verò solidiora debuerunt esse, vt firmiora essent, & difficilia frangi, ad multos & varios motus, quos habent parue aues plus quàm magna.

CAPITVLVM XXXIII.

De lateribus.

Latera verò sunt quæ sub alis iacent, inter pectus & dorsum, & penduntur à sub axillaribus vsque ad capita anchorum, & constant ex costis in quibusdam pluribus, in quibusdam paucioribus, & pannis & lacertis colligantibus costas, quæ costæ perueniunt vsq; ad spondiles dorsu.

dorsi. Est autem iuuamentum laterum collateraliter defendere cor, pulmonem, panniculos, & cætera intrinseca sub eis, quemadmodum pectus, cor ab anteriori parte. Venter verò qui à quibusdam ouaria dicitur, est totum id quod extremitate pectoris protenditur inter anchas & costas vsque ad anum, & etiam magna pars ventris continetur sub ipso pectore vsq; prope cor, continet autem in se stomachum, intestina, epas, splenem, & cætera nutritiua, vt consuetum est dici. Est autem venter desuper pennosus, neruosus, lacertosus, & ideo mollis, extensiuus, vt superfluitatibus contentis in ipso, & transeuntibus ouis, & humoribus & ventositatibus cedere posset per extensionem suam. Iuuamentum autem eius est, cōtinere membra quæ diximus, & calefacere, & superfluitates deportare exterius. Dicitur est, quòd in loco lumborum sint duo ossa anchorum, longa, cōcaua, inferius lata, habentia circa sui medium quandam cōcauitatem, quam medici dicunt, sciam, & in illa scia locatur vertebrum superius coxæ. Sunt igitur coxæ, crura & pedes, membra sustentantia corpus auis super terram, & per eadem habet auis ambulare super terram, & habere quandoq; defensionem suam, maxime autem per pedes & vngues habent scalpere vbi sibi prurit, raspare terram, illæ scil. quibus hoc conuenit, Et hæc sunt iuuamenta quæ habentur ex coxis, cruribus & pedibus. Constant autem coxæ, crura, pedes, ex ossibus multis successiuè sibi inuicem contiguatis hoc modo; 95
COXÆ

85 DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

coxæ quod vnitum est cum suo vertebro superiori, locatum in scia, & illic detinetur nervis chordis & alijs ligaminibus, habet circa se lacertos plurimos, à quibus habet diuersos motus, hoc autem os refertur illi osi in alis quod dicitur armus, habens in quibusdam auib⁹ medullam, in quibusdam nullam. Huic verò osi cōsequenter colligantur duo focilia cruris quæ sunt in alis, sunt autem duo focilia cruris, vt si vnum pateretur, reliquum remaneat sanum, & illud quod exterius est, quoniam erat paratum recipere nocumenta, grossius & firmitus fuit, & illud minus quod est in crure, aded est tenerum, maxime inferius, vt illic credatur esse nervus, & quanto plus tendit, tanto plus rotundescit, & subtiliatur, hæc autem duo focilia, quæ nos dicimus constituere crus, à quibusdam appellantur coxa, qui etiam quod superius est appellant supra coxam; os verò vnicum iungitur extremitati duorum focilium inferius, & protenditur vsq; ad digitos pedis, & hanc partem multi appellant crus seu tibiã, nos tamen opinamur magis quòd sit de pede, quemadmodum in fasianis, gruibus & bistardis. Hoc autem os cui applicantur digiti, in quibusdam auibus est tectum corio squammoso, omninò carens plumis, in quibusdam verò non squammoso & habente plumas vsque ad pedes, & in quibusdam vsque ad vngues, & in alijs raras plumas inter squammas, vt in falconibus. Item in aliquibus habet à posterius quoddam carneum acutum longum, vt gallinis, fasianis, pauonibus, in aliquibus

quibus verò omninò carent huiusmodi, quod dicitur speronus. Extremitati autem huius ossis, applicati sunt & catenati suis chordis & ligaminibus digiti ipsarum, de quibus in suo capite dicitur plenius. De comparatione autem coxarum ad alas sic se habet: illæ quæ habent grossius & carnosius pectus, habent fortiores alas, & proinde graciliora crura, & coxas, & huiusmodi sunt potentiores in volatibus, quàm in gressibus, sed quæ habent grossiora crura & coxas, gracilius habent pectus, & ideo potentiores sunt in gressibus huiusmodi & paucioris volatus, quàm quæ habent è conuerso. Quod enim recuperant partes membrorum inferiorum, diminutum est eis ex parte alarum.

Replicationes verò iuncturarū in coxis cruribus & pedibus, contrariæ sunt replicationibus iuncturarum in alis, in sursum scil. & deorsum applicando ad corpus, quod patebit si reddantur singula singulis. Item iuncturæ tibiæ & coxarū in auibus, replicantur è conuerso iuncturis coxarum & tibiæ posteriorum in animalibus ambulabilibus, ad anterius scil. & non ad posterius, & hoc ideo, vt motum suum in stando & capiendo melius habere possint, cum pedibus enim capere volens, ad anterius capiet, ad posterius verò non potest, hoc modo enim pedes prius vadunt ad capiendum, antè retrò, dextrorsum sinistrorsum, quemadmodū persona auis. Membra coxarum tibiæ & pedum, in auibus aquaticis natatilibus, percrescunt citius quàm alæ earum, quoniam cum pe-

82 DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

dibus suis habent in aquis acquirere cibū suum, non cum alis, & maior sua defēnsio est in aquis natando cum pedibus & submergendo se, hæc ideo membra natura statuit prius complere, deinde alas, in quibus postquam formatæ sunt, nascuntur pennæ maiores; adest & alia ratio, motus enim pedum quos aues faciunt natando per aquam, attrahunt humores & nutrimentum ad se, ob hoc etiam alæ quæ non sunt in motu nisi modico, nec est eis opus cum alis recedere, percomplentur tardius quàm coxæ & crura & pedes, in alijs verò auibus quàm in natantibus, non simpliciter se habet ita, sed citius percomplentur in mēbris superioribus, cum quibus est eis opus acquirere cibum sibi, fugere nocumentum, & habere defensionem suam.

CAPITVLVM XXXIV.

De digitis pedum.

Digiti autem sunt super quos tanquam super bases suas stabiliuntur crura ex coxæ, & per consequens tota auis, & ideo sunt plures, & expansi & remoti ab inuicem, quod enim super basem ampliorem firmatur, firmitus stat, ex hoc apparet quoddam iuuamentum ipsorum. Iuuant præterea ad amplectendū ramos & alia sup quæ stant, & ad alia plura iuuant. Constant autē ex plurib⁹ ossibus, successiuè sibi inuicem colligatis per suas chordas, suaq; ligamenta, & omnes colligati in vnū sunt cum osse prædicto. Sunt autem digiti pedum in pluribus auibus quatuor, in aliquibus tres, in aliquibus duo: habentium

bentium verò quatuor digitos in pede, plures habent tres digitos anteriorius, & vnum posteriorius, paucæ verò sunt habentes duos anteriorius, & duos posteriorius, vt picones, & modi psitacorum, & alix applicantes se arboribus. Sed illæ quæ habent tantum tres digitos, digito carent generaliter posteriori, ipsos namq; anteriorius habent, vt sunt bistardæ, liuercini, pluerij, & in maiori parte aues conuersantes in campis lapillofis, aut in torrentibus lapillofis. Auis verò quæ habet tantum duos digitos in pedibus, medium & forinsecum, intrinsecum non habet, ne noceat ei in gressu suo, sicut est strutio, qui habet vtrumq; anteriorius, hic quoniam grandis est, fortiores digitos habuit in pedibus, neq; enim sedet super ramos, neq; habet facere multa cum digitis, nisi currere. Item digitorum alij sunt coriales vt cophanus, & vt anser, qui sc. habent corium neruosum & cartilagosum ligans eos inuicem, quamuis distanter, sicut sunt digiti auium aquaticarum natantium, quod ideo fuit, vt impellendo aquam ad posteriorius maiori copia, se ipsos impellerent in antea melius in natando, & quando sunt plus coriales, tanto magis natant. Alij verò sunt digiti coriales, sed corium decisum est, vnicuiq; digito adherens collateraliter, vt est videre in fulicis. De habentibus digitos coriales, pellicanus solus habet posteriorem continuatum cum digito anteriori intrinseco, & distat longè à digito anteriori extrinseco, cuius rei simile non est in alijs auib; habentibus digitos coriales, vt est videre in

auibus terrestribus & medijs. Digiti autem pedum nō fuerunt lineares & sine iuncturis, nam ex hoc essent minus habiles ad officia sua, cū enim nō essent flexibiles in circulum, eò quod iuncturas non haberent, ramos, glebas, saxa & alia corpora, magis rotundæ figuræ quàm alterius, quib⁹ insident, sapius tangerent in puncto vno, sed sicut in geometria legitur, linea tangens sphericum aut circulum, necesse est vt in puncto tangat, quod autem in puncto tangit, minus tangit, & min⁹ amplectitur rem tactam, & ideo fuerunt plures iuncturæ necessariæ in digitis pedum, ex illis enim pluribus iuncturis digiti complicabiles fiunt in circulū, & in pluribus locis tangunt quod amplectuntur, & ob hoc firmiter retinent, quod fuit necessarium auibus, quādo sedent plurimum dum dormiunt super vnum pedem in maiori parte. Replicatio autem digitorum in suis iuncturis ad superiorem partem, non fuit necessaria, ad subteriore verò partem fuit, quatenus brancarent cōuenientius ramos, ad quos confugiunt per sepe, vt illic dormiant, præcipuè illæ, quæ non habent digitos coriales, & quæ nidificant inter arbores; & vt fortius & firmiter retinerent, tenendæ fuerunt plures iuncturæ, præcipuè in digitis anterioribus, sicut dictum est. Numerus autem & dispositio iuncturarum in digitis auium, præcipuè habentium quatuor digitos, tres antè & vnum post, talis est, digitus posterior vnum habet os, & vnam iuncturam, & ideo fortior est, sicut enim omne membrum plures iuncturas

habens

habens, minus rigidum & debilius inuenitur, sic habens pauciores iuncturas, rigidius & firmitus inuenitur, quod conueniebat digito posteriori, fit enim appodiatio auis ad posterius super ipsum, & ipse solus sustentat ad posterius, vt tres ad anterius, & iste digitus refertur ad cæteros digitos anteriores, quemadmodum pollex in manu; anteriores primi digiti replicantes se ad posteriorem, & posterior replicans se ad anteriores, circulationem percomplere videntur, & ideo rem inclusam firmitus retinere, & similiter fortitudo respondet fortitudini trium, & falcones feriunt cum posteriori digito, quod falconarij dicunt talum. Alius verò digitus à parte intrinseca, duo habuit ossa & contiguata inuicem, & duas iuncturas vel articulos tantum, vt etiam fortis esset, cum ipso namque stringunt aues fortius quàm cum alijs duobus, & fortius cum illo se defendunt, & super ipsum fortius firmant se, ipse etiã directius respicit posteriorem, & ideo cum ipso perficit anteriùs circulum. Medius autem digitus anteriorum, in pluribus longior est alijs, hic habet tres iuncturas ex tribus ossibus contiguatis inuicem, quia amplius debebat brancare quàm alij, in circulari enim conuolutione, medium obtinebat, replicatio enim digitorum, quando aliquid capiunt, sphericam & circularem formam videntur facere, in qua posterior digitus cum intrinseco anteriori, breuiorem circulum faciunt, medius maiorem circulationem comprehendit, vnde ossa sua longiora sunt, extrin-

88 DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

secus verò quatuor habet iuncturas ex quatuor ossibus contiguatis, est autem breuior digito medio, pro eo, quod sua quatuor ossa sunt breuiora tribus illius, cùm autem sit ex pluribus iuncturis quàm alij, debilior est cæteris, nec fuit ei necessaria magna fortitudo, cum ipso namq; auis minus se defendit, & in ipso minus se firmat, hic autē digitus habuit officium concludendi brancationem ex altera parte, & in formam quasi sphericam reducendi, vt pro eo quod habuit plures iuncturas, in pluribus locis rem contentam tangeret, & rem subtiliorem rotundare posset, vt dictum est. Ex his etiam patet mirabilis ordo complementi naturæ in articulis pedum, posterior digitus quem dicunt talum, vnicum habet articulum, digitus verò anterior intrinsecus, quem plures dicunt pollicem, duos habet articulos, sunt ergo tres articuli in his duobus digitis, digitus verò anterior medius tres habet articulos, qui cū prædictis complet senarium numerum, digitus autem anterior extrinsecus, est quatuor habens articulos, quaternarius verò numerus secundum pythagoram, adiunctus senario reddit decem, quem denarium completum numerum vocat; Decem igitur articuli digitorum pedis hoc ordine, & ad prædictam vtilitatem sunt dispositi per naturam. Sciendum etiam quod præter vniuersale corium quod tegit totū corpus, superest cruribus vsq; ad subcoxalia, & per totum pedem & digitos vsq; ad vngues, quoddam corium durius alio vniuersali, in quibusdā auibus

auibus squammosum, in quibusdā non squammosum, in quibusdam plumosum, in quibusdam non plumosum. Cuius corij iuuamentum est munire pedes & crura, quæ sæpius exponuntur tribulis, spinis, lapidibus & aquosis locis, & alijs nocumentis dum gradiuntur aues.

CAPITVLVM XXXV.

Sequitur de Vnguibus.

VNgues quàmuis à medicis inter consimilia membra numerentur, quoniam tamen adhærent digitis officialia membra, & ipsi ijdē multa habent officia, dicemus in tractatu officialium de ipsis. Sunt autem vngues qui circumdant extremitates digitorum, solidi, substantiæ corneæ, concaui interius, in qua concauitate recipiunt extremitates digitorum, sunt autem solidati cum carne iuncta sibi, & cum cute suprema, ligamenta eorum sunt chordosa, & ad ipsos veniunt nerui arteriæ, & venæ præstantes eis sensum & naturale nutrimentum. Est autem in extremitate cuiusque digiti vnus vnguis. Iuuamentū autem vnguium est, ne offendantur extremitates carnez digitorū à corporibus duris tangentibus digitos, primò sunt iuuamenta auium ad scalpere & raspare, & in pluribus sunt arma, nam cum eis pugnant, rapiunt, & laniant & adhærent solis vnguibus. Auium autem quædam sunt rectorū vnguium, vt plures de non rapacibus, quædam aduncorū, vt modi rapacium; sunt tamen etiā plures de non rapacibus aduncorum vnguium, non re-

storum, vt monedulæ & picæ, & aliæ plures, quod ergo Aristoteles dicit in libro animalium, aues vncorum vnguium idem sunt quod aues rapaces, non sic se habet. Inter omnes aues generaliter habent vnguem mediij digiti anterioris ferratilem à parte domestica, & hoc non sic est in alijs vnguibus, cum isto namq; vngue caput & cætera membra, ad quæ possunt attingere raspant & scalpunt, ex vtroque pede; scilicet. Alaudæ verò, cozardi, calandræ & similes his, habent in digito posteriori vnguem longiorem & rectiorem quàm in alijs digitis, & quàm aliæ aues in sua proportione. Grues etiam habent in digito anteriori intrinseco cuiusq; pedis, vnguem fortem, durum, aduncum & acutum, quasi esset rapacis alicuius, & hoc non habent in alijs digitis, cum quo vngue ex vtroq; pede grues se defendunt, & vt huiusmodi vngues seruentur inhebetati & illæsi, natura stabiliiuit, quod dum grues stant super pedes, huiusmodi vngues secundum latus, non secundum acumen sui stant super terram. Ciconia verò habet vngues non vt aues aliæ, sed latos sicut homines & simia.

CAPITVLVM XXXVI.

De membris interioribus officialibus.

Membra interiora officialia sunt lacerti, craneum, panni velantes cerebrũ, ipsum cerebrum, nucha, & alia huiusmodi, quæ sensui non subiacent, de quibus nostri propositi non est dicere perfectè, quæ sint, aut ex quibus constant

constant, nisi ea tantum in quibus aues habent aliquam diuersitatem & manifestationem. Lascerti namq; cùm de carne constant, & neruis, ligaminibus atq; pelliculis vestiuntur, ad hoc iuuant, vt membra per eos moueantur, vnde sunt diuersi ad mouendum diuersa membra, diuersi etiã ad mouendum vnum in partes diuersas. De oraneo vero, certum est quod defendit cerebrum, & habet formam suam in qualibet specie auium, secundum diuersitatem capitis superius assignatam. De cerebro, quoniam administrat medullam. quomodo ab ipso oriuntur. omnes vel mediately vel immediately deferentes sensum & ad cetera membra nullam. in quibus diuersitatem, de. triculis verò id idem. De spina verò, cùm non sit nisi contiguatio spondilium omnium in vnum corpus, & conseruans & defendens nucham vsque ad extremitatem caudæ, dicendum quod in quibusdam auibus est longior, secundum quod sunt longioris corporis & longioris colli, & in alijs est breuior, secundum quod sunt breuioris corporis, & breuioris colli, & quod in vna spina sunt plura spondilia quàm in alia. Et spondilia dorsi sunt iuncta inuicem tanta vnitare, vt supra dorsum videantur spondile vnum vsque prope lumbos, vbi est principium ossium anchorarum, illic namq; manifestè apparent iuncturæ spondilium, à lumbis verò desuper renes vsq; ad principium caudæ superanum, dilatantur spondilia, & intercipiuntur inter duo ossa

ancharum, & in quibusdam auibus dilatantur plus, in quibusdam minus, & hic locus à quibusdã appellatur crupponus, & solidiores sunt ipsorum iuncturæ, & foramina eorum illic ampliora, vbi verò finiunt ossa ani, qui ab illis est principium caudæ, gracilantur spondilia caudæ, & paulo post ingrossantur & dilatantur, vt plures carnes & grossiores lacertos recipiant, & per hoc melius sustineant membra peruncti, & vt pennis maioribus in circuitu nascentibus amplius locus detur, circa finem verò iterum gracilantur. De nucha verò quæ dicitur medulla spinalis, quomodo procedit à cerebro transiens per foramina omnium spondilium, vsq; ad extremum caudæ continuata, & quomodo ingrossatur super renes, vbi foramina spondilium fiunt ampliora, & quomodo neruorum paria exeunt ab ea, ita quod inter quæq; duo spondilia est vnum par, cuius paris vnus neruus procedit dextrorsum, alter verò sinistrorsum, non pertinet dicere in nostro proposito. De ore verò & lingua in quibus aues plus differunt, dicamus. Os quibusdam auibus magnum est respectu sui corporis, quibusdã paruum, quibusdam dentatum secundum palatũ, quibusdam nõ. Non habet etiam os auium vuulam, neque epiglotum, neque dentes, sed pro dentibus habent rostrum, & in quibusdam auibus modicam aut nullam continet linguam, vt in ciconijs & pellicanis, & auibus habentibus rostrum recuruum, ad modum cochlearis, & alijs pluribus, quæ aues propter hoc minimè habent differencias

ferentias vocum, cùm careant instrumentis vocalibus, quæ verò habent linguam, manifestam vocem firmant, & voces tanto magis variant, quantò sint eis habiliores linguæ ad motum, quæ enim habent linguam gracilem & agilem, in rostro paruo & gracili, certum est, quod habent plures modulos vocum, vt philomelæ, calandrax, alaudæ, sturnelli, meruli, cardilli, & cæteræ auiculæ, hæ namque & suas voces proprias proferunt, & sonos auditos nituntur conformare, maximè graciles sonos, & aliquæ de illis garrunt plus in vere, & in tempore coitus earum, & in tempore sereno, quieto, temperato, & manè plus, sunt tamen quæ die & nocte vociferantur per plures menses veris, vt philomelæ, quæ alijs temporibus silent; sed quæ habent linguam carnosam & grossam, sunt quæ nituntur imitari in gutture suo voces humanas quas sæpius audiunt, vt coruorum modi & picarum, & magis psitacorum viridium modus, & maximè modus alborum, qui modi psitacorum proferunt literam R plus quàm aliæ aues. Hæ autem varietates vocum contingunt ex habilitate linguæ, & aliorum instrumentorum vocalium, maiores verò aues minus habent variare voces, propter ineptiam instrumentorum, sed quæ habent pauciores modos vocum, habent ad minus tres modos vocum, aliam enim habent ad desiderium acquirendi escam sibi, aliam ad desiderium coeundi, mas aduersus fœminam, & è conuerso, aliam quando timent & propter timorem vociferant. Lingua verò in pluribus
 auibus

auibus secundum subteriore partem sui ha-
 bet quoddam durum admodum vnguis, quod
 peruenit vsq; ad summitatem linguæ anteriùs,
 ex quo fit durior & firmior in anteriori parte,
 circa verò sui medium, per transuersum habet
 quandam flexibilitatem, sub quo loco interius
 in lingua quarundam auium est os quoddam.
 Interius autem lingua ramificatur in duos ra-
 mos vtrinq; procedentes vsque ad occiput, qui
 videntur esse neruosi, forma verò linguæ sequi-
 tur, vt in pluribus, formam rostri, vt conten-
 tum continens, & rostro cum re-
 cto in stricto & subtili, stricta & gra-
 cilis, in lato lata, in dentato dentata, iuuans per
 hoc ad incisionem herbarum, in breui breuius,
 in duro & acuto dura & acuta, vt est in modis
 piconū, qui cum rostro verberant & perforant
 arbores, & acumen linguæ infigunt in vermes,
 & extrahunt ipsos vt comedant. Patet igitur
 q; aues habent diuersitatem in lingua secundū
 diuersitatem rostrorum. Iuuamentum autem
 linguæ est perficere gustum. In fine verò linguæ
 interius est vnum foramen in lingua, quod de-
 scendit in cannam pulmonis, & nullum habet
 epiglottum, habet enim naturam claudendi se,
 dum cibus aut potus desuper ipsum transit ad
 subsequens foramen, quod descendit ad iso-
 phagum, illac transit cibus & potus. Sunt etiam
 in superiori parte oris, scil. in palato, duo fora-
 mina, vnum longum præcedens, quod respon-
 det vijs tendentibus ad nares, quibus attrahi-
 tur flatus intrans in cannam pulmonis, aliud
 verò

verò foramē sequitur, istud est in fine palati interiorius, vnde descendunt superfluitates à capite, & hoc tenet officium vululæ secundū hoc.

CAPITVLVM XXXVII.

De canna pulmonis.

CANNA autem pulmonis cartilaginosa & annulosa, hinc descendens vna vsque prope pulmonem, hinc enim diuiditur in duas minores cannas, quarum vna vadit ad vnam partem pulmonis, altera ad alteram. Item canna pulmonis descendit vsque ad collum, rectè super spondilia, vsque in loca pulmonis, præterquam in gruibus, canna enim gruum in longum & rectum descendit inter furculam pectoris, & procedit & reflectitur illic inter ossa pectoris, quæ exit inter duas tabulas, & reflectitur & regiratur illic supra seipsam duplici giro, deinde peruenit ad pulmonem, diuidens se in duas partes sicut cannae cæterarum auium, hinc est quod aër verberatus & reflexus in tortuositates cannae pulmonis, sonat altius, quapropter grues habent sonoram vocem & altam præ cæteris auibus, sed minores grues non nisi sibilant, vsque ad annum, & tunc mutant vocem.

CAPITVLVM XXXVIII.

De pulmone.

PVLMO verò auium diuisus est in dextram partem & sinistram, quæ adhærent & collocantur inter costam, & super eas prope spondilia

94 DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

lia dorsi, & prolongatur pulmo vsq; versus vltimas costas ex vtroq; latere.

CAPITVLVM XXXIX.

De diaphragmate.

Diaphragma non videtur euidenter in auibus, sed est inter duo spiritualia membra & nutritiua; præter casulam cordis positi sunt multi panni distinguentes nutritiua ad inuicem, vt epar ab intestinis, & cætera nutritiua similiter.

CAPITVLVM XL.

De Isophago.

Isophagus verò rectè descendit in quibusdam auibus iuxta anteriorem partem colli, & in quibusdam reuoluitur circa collum, vt in cinnis & quibusdam auibus, habet supra furculam pectoris quoddam amplum ad modum sacci, quod gorgia dicitur, primò recipit cibum & potum ab ore in eam transmissum, in ea enim cibus & potus calefit, & præparatur priusquam veniat ad stomachum, & in quibusdam auibus supra furcam pectoris nihil habet ampli, neque habet gorgiam, sed protenditur isophagus ab ore vsq; ad stomachum, & vbi continuatur cum stomacho, amplior efficitur.

CAPITVLVM XLI.

De stomacho.

Stomachus verò est membrum ad quod per isophagum mittitur cibus & potus, & in eo dirigi-

LIBER PRIMVS.

dirigitur, & ei continuantur intestina ab inferiori, quemadmodū isophagus à superiori. Hic autem stomachus in quibusdam auibus est valde carnosus, densus & durus, vt in anseribus, anatibus, gallinis & huiusmodi, & in quibusdam auibus stomachus non est carnosus neq; durus, sed neruosus tantū, quantum ad tunicam superiorem & inferiorem, vt in auibus rapacibus. Ab ore itaq; cibus & potus deducitur per isophagum ad stomachum, à stomacho verò post digestionem cibi, superflua deportantur ad intestina, quæ intestina multipliciter sunt inuoluta, & protenduntur vsque ad podicem quod subest caudæ.

CAPITVLVM XLII.

De Epate.

E Par est membrum generans sanguinem diuisum in duas partes, vnā dextram, & alteram sinistram, cui Epate applicatur in quibusdam auibus sacculus felleus, sunt namque aues quæ penitus carent felle, vt columbæ & turtures.

CAPITVLVM XLIII.

De Renibus.

Renes in auibus duo sunt, vnus dexter, alter sinister, & adhærent prope spondilia sub ossibus ancharum, protensi vsq; versus anum, & viz deferentes vrinam transeunt sub ipsis, adhærendo eis vsq; ad locum exitus superfluitatum, inde est quod aues emittunt vrinam cum egestione, nec fuit eis necessaria vesica.

CAPITVLVM

DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

CAPITVLVM XLIV.

De testiculis & matrice.

IN principio renum super spondilia, adherent in masculis auium duo testiculi, vnus dexter, alter sinister: In foeminis verò illud membrum in quo creantur oua, quod membrū etiam dici potest matrix, modica autem est diuersitas in auibus, quantum ad testiculos & matricem.

CAPITVLVM XLV.

De plumagio auium generaliter, comprehendente quædam similia pilis, lanulas, plumas, pennas.

Diximus de diuersitate quam habent aues in membris, & in iuuamento ipsorum quantum expediebat, dicemus nunc de plumagio auium, quod sequitur membra ipsorum, & fundatur in membris. Est autem plumagium de superfluitatibus exeuntib⁹ à corpore auium, sicut pili à corpore quadrupedum, & squammæ à corpore reptilium; quod plumagium necessarium est auibus, ad melius esse, scil. ad cooperimentū cutis, per quod à calore & frigore & maledactione defendantur, ad sustentandum volucres in aëre, & ad volandum. Innascitur verò auibus plumagium multiplex, pullis namque nouiter genitis primò innascuntur illæ, quæ nec sunt vt pili, neq; vt lanulæ, sed habent naturam inter vtrumque, quæ cooperiunt, & à frigore, quoquo modo defendunt. Secundò innascuntur aliæ quæ dicuntur lanulæ, à quibusdā dumz, hæ sunt

hæ sunt exiles & molles, densiores & longiores primis, hæ plus cooperiunt & plus defendunt, illis, & his natis cadunt illæ. Tertio innascuntur aliæ quæ dicuntur plumæ, & simul cum eis illæ quæ dicuntur pennæ, & differunt plumæ à pennis, nam plumas dicimus quæ habent cannulas in radice, & costam procedentem per medium gibbositatis, vsq; ad vltimum earum; hæ plumæ nascuntur per totum corpus, & cooperiunt cutem: sed pennas dicimus quæ habent maiores cannulas, radices sibi, & similiter costam protensam per medium pilositatis vsq; ad summum, hæ sunt maiores plumis, & multo magis sunt ad sustinendum volucrum in aëre, quàm ad cooperimentum cutis, sed præcipue sunt ad volandum, vt fugiant nocumenta, & accipiant escam, & non nascuntur nisi in alis & cauda. Plumis itaq; & pennis nascentibus, & sua longitudine pertranseuntibus lanulas, ipsæ lanulæ cadunt, & quanto plus crescunt, & lanulæ plus cadunt. Verùm quoniam inter cannulas plumarum, & inter cannas pennarum sunt interualla spaciola, & ob hoc corpus illic minus sufficienter cooperiretur, vnde posset intrare frigus, adfuerunt aliæ lanulæ prioribus minores in locis illis, vt cooperiant illic, & calefaciant, & suppleant defectum plumarum & pennarum, hæ lanulæ remanent corpori, vsq; dum mutant plumas, & pennas, hinc est quod in quibusdam auibus, plumæ habent sub se alias plumas minores adherentes cannulis, & ab eisdem exeuntes, vt calefaciant, hæ aliæ, in hoc ge-

DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

runt naturam & officium lanularum, & ad hoc in fine cannulæ, vbi finit pilositas plumæ, inferius adsunt ex vtraq; parte quædam molles de natura lanularum; sed quæ non habent plumas alias adhærentes cannulis, habent plurimum de huiusmodi lanulis, exeuntibus à cannulis vtrinque & proximius cuti, & vt plumæ melius cooperiant & calefaciant & defendant ab aqua. Inter cannulas quarumque duarum plumarum propin quarum, sibi superest tertia pluma, cooperiens more squamarum in reptilibus, sunt etiam ex hac serie sua protegentes, & protectæ ab inuicem, & magis calefacientes & defendentes à suprâ dictis nocementis.

CAPITVLVM XLVI.

De coloribus plumagiorum.

A vium siquidem secundū rotam speciem, quædam sunt albæ, aliæ magis, aliæ minus, quædam nigræ, aliæ magis, aliæ minus, quædam griseæ seu cinericæ, quædam fulvæ, seu terrestris coloris, quædam variæ ex albo & nigro in diuersis pennis, aut in eisdem, & varietas ex multis coloribus, plus in quibusdam ex viridi & cæcæo colore. Sunt & aliæ species ex multis alijs coloribus, & sub eadem etiam specie inveniuntur in diuiduo diuersorum colorum, & in tota aue sunt diuersi colores, & quandoque in vna pennâ vel pluma. Et sunt aues, quæ mutant colorem plumagij, secundum ætatem, vt cinni, qui primo anno sunt bist, seu cinericij, secundò medij ex cinericio & albo, tertio deinde fiunt albi magis ac magis, hæc eadem mutatio solet
1661
accidere

LIBER PRIMVS.

accidere pluribus speciebus auium; quæ sunt
 albæ secundum speciem. Et sunt aues quæ mu-
 tant colorem plumagij tempore coitus, sicut
 mutant figuram in pluribus suorum membro-
 rum, vt ayrones bisi, quib⁹ tempore coitus flo-
 rescunt suæ plumæ & pennæ quodam flore pul-
 ueroso & biso; & ex hoc manifestum est, quo-
 niam tingunt pannos quos tingunt alterius co-
 loris colore simili suo, quibus eisdem rostrum
 & pedes rubent tempore coitus, & ad singulas
 mutas mutantur colores plumagij. Propter
 hoc de colorib⁹ plumagij vniuersaliter auium,
 non est nostrū propositum dicere, pro eo quod
 ferè innumerabilibus modis sunt in omnibus
 speciebus auium, nisi tantum in auibus rapa-
 cibus, quibus vtimur in venatione, & illud non
 hîc, sed vbi tractabitur specialiter de eisdem;
 sed dicamus in genere, quib⁹ auibus innascun-
 tur plumæ & pennæ citius, & quibus tardius, &
 quibus percomplentur in sua magnitudine ci-
 tius, & quibus tardius. Auibus terrestribus qua-
 rum nidus est super terram, & eis parentes non
 ferunt escam, sed ipsæ statim quod natæ sunt si-
 bi acquirunt, plumæ & pennæ innascuntur ci-
 tius, & citius completur augmentum pluma-
 rum & pennarum, quam illis auibus quarum
 nidus est super terram, & parentes ferunt eis
 escam quando natæ sunt, & his & illis citius
 quàm auibus quarū nidus non est super terram,
 sed in alto, quibus omnibus habentib⁹ nidum
 suum in alto parentes ferunt escam; non enim
 est possibile teneras & noniter genitas ab alto

descendere, & per se cibum acquirere. Quæ de re natura prouidit vtiliter, dare plumas & pennas velocius nidificantibus super terram, cum immineant eis plura nocumenta, de serpentibus scil. vermibus, feris, auibus rapacibus, & de alijs multis, cum quibus plumis & pennis possent nocumenta vitare, parentes sequi, & per se sibi acquirere escam, hæ enim citius videntur volare cum parentibus suis, vt sunt pulli perdicum, fasianorum, coturnicum, bistardarum, & aliarum huiusmodi; etiam illæ quæ nidificant super terram, quib⁹ parentes ferunt escam, sicut sunt alaudæ, cozardi, & plures aliæ, videntur citius volare, quàm nidificantes in altum, nidificantibus enim super frutices, arbores, rupes altas, & super alia loca alta, non imminet tot nocumenta, quot prædictis, & plumæ & pennæ innascuntur eis tardius & percrescunt, quàm prædictis. Pullis itaq; auium rapacium non imminet tot & tanta nocumenta, cum nidus ipsarum in securioribus locis sit, verbi gratia, in rupibus altis, in arboribus altis, & illinc parentes à remotioribus prouident escam; plumæ & penna innascuntur tardius & percrescunt tardius, quoniam sunt ficcioris naturæ quàm ceteræ aues, quod autem in ficciori aue plumæ & penna tardius nascantur & crescant, quàm in minus ficca aue, signum est ex eo, quod videm⁹ de pennis, illa quæ est in ficciori membro, aut in ficciorè parte membri, tardius percompletur, quod patet in alis: præterea auibus rapacibus longiores sunt plumæ & penna respectu sui corporis,

corporis, quàm ceteris auibus, tam quoniam longiores sunt, tum quod in sicciori corpore, tardius percomplent suam longitudinem plumæ & pennæ. Veruntamen quoniam pulli rapacium expelluntur citius à parentibus suis, quàm pulli aliarum, & vi volatus habent sibi acquirere prædam, & fugere nocumenta, nascuntur eis plumæ & pennæ, crescentes proportionaliter suo corpori fortes & firmæ, non rapacibus verò nascuntur plumæ & pennæ minus fortes & minus firmæ, quàm conueniant corpori earum, quod natis plumis & pennis, & in sua longitudine iam completis, amplius crescit. Auibus autem aquaticis natatilibus, plumæ & pennæ nascuntur tardissimè omnium, quatenus parentes non ferant ipsis escam, cum enim contra nocumeta imminencia sibi habeant defensionem suæ personæ, natando in aquis, & cum in eis inueniant escam, sibi minus suis necessaria origo pennarum & plumarum à principio natiuitatis suæ, quàm alijs, & quatenus in his tardissimè omnium plumæ & pennæ nasci incipiant, tamè quoniam huiusmodi aves humidiores sunt, & in humidis locis assidue commorantes, plumæ & pennæ ex quo nasci incipiunt, & citissimè omnium crescunt, & in sua longitudine citissimè complentur, sicut est videre in modis anserum, anatum, & reliquarum natantium, cum collo namque, cruribus, & pedibus natantes per aquam, escam acquirunt, & nocumenta fugiunt multo tempore antequam plumæ & pennæ incipiunt nasci, & quam mem-

bra alarū sint completa, & si euellantur ab eis plumæ & pennæ, vsq; ad modicum tempus renascentur & completæ erunt.

CAPITVLVM XLVII.

De plumis.

Plumæ verò auib' innascuntur & percomplentur ante complementum pennarum, quod fuit vtile ad cooperimentum & tutamentum totius corporis contra importunitates aëris, hæc plumæ, quoniam nascuntur in humidioribus locis corporis, & minus remotæ à corde quàm pennæ, & quoniam sunt breuiores quàm pennæ, percomplentur citius in augmento suæ longitudinis quam pennæ, & de ipsis eisdem plumis, quantò nascuntur in minus humido loco corporis, à quo habent minus de nutrimento, & quantò maiores sunt alijs plumis, tantò tardius in sua longitudine percomplentur alijs. Depennis verò hoc item manifestum est, vltima namq; penna forinseca alarū, pro eo quod radicatus adhæret ossi, & remotior à corpore, alijs tardius crescit, & percompletur, quàm cæteræ pennæ, quæ pennæ quantò plus nascuntur prope corpus, tantò citius crescent & percomplentur. Inde est quod illæ quæ dicuntur vani, citius percomplentur quàm decem vltimæ forinsecæ, vani namq; magis sunt propinqui corpori, quàm reliquæ decem; & in pennis caudæ similiter est videre, pro eo namque quod sunt in loco pingui & humido, citius percomplentur pennis alarum, & inter pennas caudæ illæ
duæ

duæ quæ nascuntur in medio aliarum, sub quibus duabus aliæ receptantur, pro eo quod sunt in humidiori loco, citius crescunt & per complentur alijs pennis collateralibus sibi, de quibus collateralibus, illæ quæ sunt remotiores ab illis duab⁹ ex vtraq; parte, crescunt & per complentur tardius, quæ verò propinquiores velocius. Dicatur etiam vbi nascuntur plures dumæ & plumæ, & vbi pauciores & de numero penarum in alis & cauda.

CAPITVLVM XLVIII.

De lanulis.

LAnulæ verò siue dumæ plures sunt circa anum, & ante ouariam seu ventrem, hæc enim loca cum intestina contineant, & plurimum sint pannosa, & non habeant carnes ante positas, indiguerunt maiori calefactione; multæ etiam sunt in pectore, quamuis non in tanta copia quanta ante ouariam, pectus enim quamuis carnosum sit, tamen semper est oppositum imbribus & ventis, in lateribus verò pauciores sunt lanulæ, calefiunt namque latera per superpositionem alarum, in dorso verò paucissimæ, cum non obstat imbribus & ventis. Plumæ verò sunt super dorsum, lumbos & vsq; ad caudam, duriores & firmiores, non tamen plures quam in pectore, aut ante ouariam, illic namque sunt plures ratione prædicta, paucissimæ verò sunt in vtroq; latere, alis supplentibus defectum plumarum illic. Plumæ autem, vt dictum est in capitulo de iuuamento membrorum, in capitib;

& collo quarundam auium non adsunt omnino, & in quibusdam auibus per totum corpus, sed in coxis & sub coxalibus non per totum, in quibusdam verò in coxis & subcoxalibus totis, vsque ad iuncturam quæ est sub coxalibus, & in quibusdam in coxis subcoxalibus & cruribus vsq; ad digitos pedum, & in quibusdam in his etiam per digitos vsq; ad ungues, sicut est videre in generibus bubonum & noctuarum, & alijs. Fuit autem vtile hoc eis, quoniam nocte volant sæpius irruentes in loca spinosa, ad acquirendam sibi prædam, sed in bubonibus, quæ sunt in digitis magis sunt de natura plumæ, in noctuis magis sunt de natura pili. In habentibus autem coria pedum & squamosa & dura, non innascuntur plumæ, squamis non permittentibus eas nasci, visi sunt tamen modi falconum, accipitrum & nisorum, habere plumas in cruribus & pedibus, quæ oriebantur inter squamas & erant raræ, & hoc accidit rarò.

CAPITVLVM XLIX.

De pennis alæ.

Pennæ verò in alis & cauda nascuntur solum; in his autem locis sufficiens fuit nasci pennas ad subleuandum corpus in aëre, & sustentandum, cum enim expanduntur pennæ alarum per extensionem alarum & caudæ, ventus & aër subleuant volucrem, cuius motus in aëre per motum alarum volatus, est sicut gressibilem incessus, piscium per aquam natatus, per terram ambulatus. Numerum autem positionem

tionem & iuumentum pennarū in alis & cauda dicamus. Cæterum quoniam in quibusdam auibus non rapacibus, in alis & cauda pennæ sunt plures, & in quibusdam sunt pauciores, & non semper sunt sub certo & eodem numero, quod est videre in pennis caudarum gallorum, fasianorum, pauonum, anatum & aliarum plurimum, prætermittemus dicere de auibus non rapacibus, & dicemus de ipsis auibus rapacibus, quibus utimur in venatione, Sic namq; expedit nostro proposito, vt infra patebit. In speciebus verò auium rapacium sæpius sunt sub certo & eodem numero, quamuis alterius formæ, sed quod dicemus de pennis auium rapacium, maxime de positione & iuumento ipsarum, referri poterit ad pennas auium non rapacium.

CAPITVLVM L.

De numero pennarum alarum.

Numerus itaq; pennarum in vnaquaq; ala est viginti sex, quatuor magis propinquæ corpori, quæ dicuntur corales, & postea duodecim, quæ dicuntur vani, firmiores & duriores coralibus, & alterius coloris & figuræ, demùm versus extremitatem alæ, alæ sunt decem quæ forinsecæ dici possunt, hæ sunt firmiores duriores & longiores illis quæ dicuntur vani, vltima harum decem dicitur saxellus, & de his decem saxellus, & illæ quæ priores sunt saxello, sunt decisæ & formatæ ad similitudinem curtelli, quod enim de penna distinctè latius est, manu-

brij locum obtinere videtur, & hoc est infra, sed quod distinctè strictius est, locū videtur obtinere ferri curtelli, quod est extra manubrium, & hoc est supra, propter quod opinamur, quòd dicantur cultellæ, quædam tamen habent plures, quædam pauciores, & quædam habent incisuras vel stricturas longiores, & quædam curtiores, & quædam strictiores, & quædam minus strictas: sunt itaque viginti sex pennæ in ala. Sunt præterea quatuor paræ pennæ & duræ in ala posita, extra has decem forinfecas, & adherent illi paruo osi forinfeco, quæ dicuntur esse loco pollicis, hæ quatuor vocantur empiniones, & sunt minores pennis, & maiores plumis.

CAPITVLVM LI.

De positione maiorum pennarum.

Positio autem pennarum maiorum in ala, hoc modo est, & incipiamus ab extrinfeco, deuenientes ad illas quæ sunt propinquiores corpori. Vltimò osi tertiæ iuncturæ alæ quam diximus, adhæret illa sola penna vltima & forinfeca, quam dicimus faxellum, & adhæret secundum longum seu cannoli radicis suæ, & peruenit vsque ad illum locum, quo iungitur hoc os alijs ossibus. Alij osi cui iungitur istud, adhærent tres pennæ maiores, quæ non adhærent tam fixè huic osi quàm firmè adhærebat faxellus primo osi, & istæ tres videntur cum faxello magis continguari inuicem quàm cum alijs sex quæ sequuntur. Alij verò osi quod contiguatur huic, adhærent sex pennæ, quàmuis
non

non tam fixè neq; tam firmè, quemadmodum tres prædictæ ofsi prædicto, & sic tribus his ofsi-
 bus adhærent decem pennæ, quas dicimus de-
 cem forinfecas, hæ verò decem sunt magis con-
 tinguatæ inuicem, quàm cum illis quæ sequun-
 tur, & harum decem, quando ala est extenta, v-
 naquæque facit angulum acutum cum ala sibi
 subiecta exteriorem, interiorem verò obtusum
 propter faxellum, qui tam propè adhæret ofsi,
 quod nullum angulum cum osse subiecto facit.
 Ofsi verò maiori de focilibus, & est extrinsecū,
 adhærent duodecim pennæ seriatim perlon-
 gum, quæ dicuntur vani, & hæ sunt vnus for-
 mæ, & vnus coloris, scil. alterius quàm illæ de-
 cem forinfecæ, hi verò vani extenta ala, faciunt
 vnaquæque angulos duos rectos vtrinque cum
 osse subiecto. Reliquæ quatuor subsequuntur
 has duodecim vanos seriatim, quæ quatuor di-
 cuntur corales, & sunt ferè alterius formæ, &
 coloris quàm vani. Omnes autem hæ viginti
 sex continentur seriatim in cute cooperiente
 alam, extenta illuc vnde exeunt cannulæ radi-
 cales pennarum, & hæ cannulæ perueniunt vsq;
 ad os intus in corio, perforantes præter faxel-
 lum, qui adhæret ipsi ofsi, vt dictum est. Sunt
 etiam in ala supra istas viginti sex pennas seria-
 tim, & infra ipsas aliæ pennæ minores illis &
 maiores plumis, & sunt duriores & maiores re-
 spectu sui, quàm aliæ. Sed vnaquæq; illarum quæ
 supræstant decem forinfecis, inter quasque duas
 lateraliter collocantur, & perueniunt vsq; ad
 os, sc. quantum maiores, & plus: Illarum verò
 qua

quæ substant, vnaquæq; adhæret alicui, sc. maiori lateraliter iuxta cannas maiores, & non protenduntur vsq; ad os, quantum protendebantur cannæ maiores, & istæ quæ substant illis decem, sunt paræ, debiles & exiles, plus quàm illæ quæ suprâ stant. Illæ autem quæ suprâ stant vanis & coralibus, non suprâ stant collateraliter ipsis, sed directè, vnaquæq; parua supra suam maiorem, & tantum appropinquat osi, quantum illæ, sed illæ quæ substant vanis & coralibus, adhærent similiter illis non collateraliter, sed directè sub illis, & non protenduntur vsque ad os, sed vsq; ad lacertum subteriore, & sunt debiles & exiles, vt illæ quæ substant decem primis. Et supra has minores, quæ suprâstant maioribus, & sub istis quæ substant similiter maioribus, sunt aliæ locatæ seriatim per ordinem, pennæ minores & plumæ vsque per totam alam, sic munientes & protegentes totam alam & confirmantes aliæ alias. Præterea sunt illæ quæ dicuntur empiniones, in loco vbi diximus. Sic autem sunt propinquæ huiusmodi pennæ inuicem, quod quando extenditur ala, interior medietas forinsecæ per longum cooperitur ad minus ab exteriori medietate illius quæ sequitur eam, & sic de cæteris per ordinem, quod fit vt non sint interualla nocentia volatui; quod autem exterius est de pilositate, extra costam pennarum decem, & multò magis saxelli, durius densius & breuius quàm quod est ex alia parte costæ, hoc fuit necessarium, cum illud latus pennæ esset detectum ex expositum, ad incidendum

VENTURA

ventum & aërem, & quanto plus elongantur à
 faxello, tanto dilargatur & debilitatur plus,
 cuius simile est in cauda, quando verò ala re-
 plicata est, & reducta in corpus ad replicatio-
 nes, iuncturis debitis corales cooperiunt van-
 nos, & vani curtellos, quod totum est ad melio-
 rem custodiam pennarum aliarum ab alijs in-
 uicem. Est autem iuuamentum coraliū, ut
 quando extenditur ala aduolandum, munita
 sit pennis vsque ad corpus, & sine aliquo inter-
 uallo, per hoc enim melius sustinetur auis in
 aëre, quod si corales deessent, magnum esset in-
 teruallum inter corpus, & locum vnde incipi-
 unt vani, per tale siquidem interuallum transi-
 ret ventus & aër, & aqua pluuiæ, quod totum
 esset nocumentum sustentationis & volatus a-
 uis, & quando ala esset reducta ad corpus, iam
 dorsum & vani non haberent sufficiens coope-
 rimentum. Est verò aliud iuuamentum penna-
 rum, quæ dicuntur vani, & hancque, quando
 extenditur ala & mouetur ad volandū, iuuant
 sustentare auem, & impelli ad anterius, maxi-
 mē ex motu alæ prædictæ, & quando ala redū-
 cta est ad corpus, vani cooperiunt curtellas, imò
 omnes illas decem forinsecas. Decem verò fo-
 rinsecæ habent hoc iuuamentum, quando ex-
 tenta est ala aduolandum, iuuant sustentari
 auem, sed magis iuuant impelli ad antea, & hoc
 est earum proprium, per motus namq; suos se-
 micirculares & æquidistantes, iuuant subleuari
 pondus corporis auis, & impelli ad antea, &
 vnaqueq; magis, quanto magis extensa & re-
 motior

motior est, sicut prædictum est in iuuamento membrorum, & ideo accidit, quod amissa vna de his decem, auis peius volat, quam amissa aliqua de vanis, & magis nocebit volatui quam si amiserit vnam de exterioribus, & quando ala reducta est ad corpus, hæc decem iuuant cooperiri latera & caleferi, in quibus lateribus paucę plumę, & paucę dumę naturaliter insunt. Empiniones autem iuuant ad hoc, quod quando auis descendit de alto, coarctat & concludit cęteras pennas ad corpus, & extendit empiniones, nam si expansis pennis & empinionibus descenderet, ventus & aër subleuaret ipsam, & prohiberet eius descensum, & si totaliter conclusis alis, pennis & empinionibus descenderet, ipsa ponderosa descenderet & non regeret se quò vellet, aut quomodo vellet. Cum empinionibus verò expansis solum, non impeditur in suo descensu, sed descendit regendo se quò vult, & quomodo vult; penne verò supra stantes & substantes maioribus, & alię per ordinem supra illas & sub illis, iuuamentum habent concludere & cooperire interualla, quę erant inter cannas & cannulas pennarum, & confirmare magis pennas. Dicitur est itaque de numero, positione & iuuamento pennarum in ala, dicatur nunc de cauda.

CAPITVLVM LII.

De numero pennarum caudę.

Numerus autem pennarum in cauda rapacium, vt sæpius accidit, est duodecim. Accidit

cidit. etiam aliquando quod sint tredecim vel quatuordecim, vel pauciores, propter abundantiam, vel indigentiam materiæ, sicut est videre in digitis humanis, & in cornibus arietum & in alijs. In auibus non rapacibus, sunt in quibusdam speciebus multo plures, & in alijs pauciores, de quorum numero nō intendimus dicere, vt supra dictum est. Hoc tamen hic notandum est, quòd aliquando nomine caudæ intelligimus solas pennas caudæ, & non membrum à quo exeunt pennæ, aliquando verò & magis propriè, membrum illud à quo oriuntur & exeunt pennæ caudæ, cui membro superest id quod dicitur peruncum in maribus & foeminis.

CAPITVLVM LIII.

De positione & forma pennarum caudæ.

Positio autem & forma pennarum caudæ, hoc modo se habet; rectè à medio membri quod dicitur cauda, secundum longitudinem exeunt duæ pennæ, quæ cooperiunt alias pennas, quando cauda non est extenta, dicuntur coopertoria, & naturaliter harum dextra cooperit sinistram, hæ sunt longiores alijs in pluribus rapacibus quibus utimur, sed in alijs auibus, in quibusdā longiores, in quibusdam breviores. Sunt & aliæ decem collaterales istis duabus, quinque ex vno latere, quinque ex alio feriatim; & per ordinem vna subsequens aliam, quæ decem quando cooperiuntur à duabus cooper-

culis,

DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

culis, quando cauda non est extenta, dicuntur cooperculę, hę dextrę, illę sinistrę. Cooperculę verò, vt amplius cooperire possent, ex vtroque latere costulę suę fuerunt æqua amplitudine pilosę, reliquę verò latius sunt pilosę à latere intrinsecò quàm extrinsecò, & secundum quod magis distant ab his duabus, sic strictius sunt pilosę exterius, & pilositate strictiore, & interius sunt pilosę pilositate latiore & molliore, quod patet manifestè in duab⁹ forinsecis pennis caudę, vna dextra, altera sinistra, quod conuenienter accidit propter duas causas dictas in pennis forinsecis alę. Quando verò hæ duodecim pennę caudę sunt extentę & expansę ad volandū, extremitates longitudinis earum faciunt formam in generibus falconum, portionis circuli, & hanc exterius in quibusdam maioris portionis, & in quibusdam minoris: in modis verò accipitrum & nisforū, non faciunt formam portionis circuli, sed potius æqualem longitudinem linearem. Sunt & alię aues, in quarum caudis huiusmodi forma est arcualis non exterius sed interius, pro eo quod pennę medię sunt breuiores, extreme verò & forinsecę longiores. Sunt verò plures alię species non rapacium, in quibus secundum quod sunt diuersę, sunt & alię huiusmodi formę extremarū pennarum caudę extendarum. Super has verò duodecim pennas caudę sunt & alię multò minores eis, desubtus verò similiter alię subalbide molliores & longiores illis quę supra stant ipsę duodecim, & hę inferiores à quibusdam dicuntur

tur

tur Bracalę. Iuuamentum autem caudę in auibus est multiplex, ipsa enim expansa iuuat sustentari corpus auis æquo magis pondere, & per adiutorium caudę, alę minus fatigantur, & per caudę motū auis iuuatur habere quatuor motus sursum, deorsum, dextrorsum, & sinistrorsum: illę verò quę supstant duodecim pennis caudę, & illę quę dicuntur bracalę, sunt illic ad claudendum interualla, quę erant inter cannas illarum duodecim, & ad fortificandū pennas, & ad calefaciendum loca in quibus sunt. Sunt & aues quibus non insunt in cauda pennę magnę, quàmuis sint magni & ponderosi corporis, vt grues, bistardę, cinni, anseres, anates, & vniuersaliter aues aquaticę, in maiori parte habent breuiorem caudam quàm ceterę; & sunt aues quę habent longam caudam respectu sui corporis, vt pica. Generaliter autem pennę alarum & caudę in quibusdam auibus, naturaliter sunt longę, respectu sui corporis, in quibusdam breues, in quibusdam molles, in quibusdam durę, in quibusdam amplę, in quibusdam strictę, & in quibusdam mediocres.

Addidit Rex.

INter modos auium aquaticarum, terrestrium seu mediarum, quędam habent breuem caudam, quędam longam. Omnes verò aues aquaticę & medię, sunt breuem habentes caudam, sicut cinni, anseres, anates, grues, & huiusmodi, generaliter tamen omnes aues aquaticę, medię & terrestres, quarum mansio semper est in terra,

H

vel

vel in aquis, pascentes herbas, seu piscantes, habent breuem caudam respectu sui corporis. Causæ verò, quare habent curtam caudam sunt hæ: prima videl. cum iuuamentis quibus longa cauda iuuare videtur, istæ aues non egeant, eo quod mansio eorum non est in arboribus seu rupibus, ita quod quando vellent à terra super arbores insidere, volando in sursum velint se regere supra caudam, nec resideant in arboribus, quod oporteat eas opponendo se ventorum incurfibus & alijs obstaculis, se regere & gubernare cum cauda. Secunda est, quia cum earum status sit supra terram ratione mansionis, & acquisitionis cibi, & oporteat eas ad hoc quod cibum inueniant discurrere super terram, & maximè manè vadant ad pascendum, tempore scil. quo herbæ sunt plenè rore, ad minus, si caudam haberent longam, madescerent caudæ ipsæ, vnde tam ad reditum suum, quàm ad alium quemcunq; volatum, cauda longa madefacta, noceret potius quàm iuaret, & si hoc accidit pascentibus herbam, multò magis in piscantibus, quæ manent semper in aquis.

CAPITVLVM LIV.

De maneriebus volatum in auibus.

DICTO de diuersitate membrorum in auib⁹, & de iuuamento ipsorum, nec non & de plumagio, sequitur vt dicamus de natura volatus post illa duo, cum ex illis duobus habeatur. Est autem volatus incessus volatilium per aëra, qui fit cum motu alarum: quemadmodum ambulatio

bulatio est incessus super terram, qui fit per motum pedum, sed nec omne volatile, nec omne alatum dicimus esse auem, cum multæ sint alæ, quæ non sunt auium, sed omnem auem dicimus esse alatam, illam verò solùm auem dicimus, quæ pennata est, & plumosa naturaliter. Et quoniam volatus auium fit cum motu alarum suarum, videnda est diuersitas motus alarum volando, vt per hoc videatur diuersa maneries volatus in auibus. Auium quædam vno motu mouent alas in suo volatu, & illum motum nõ nisi necessitate urgente mutant; quædam diuersimodè mouent suas alas in volatu, & modos mouendi alas mutant necessitate etiam non urgente. Illarum quæ vno motu mouent alas in volatu suo, quædam frequenter mouent alas, quædam rarò, quædam neque rarò neque frequenter. Quæcunq; igitur aues habent alas breuiiores, & pennas alarum forinsecas breuiiores, quàm conueniat corpori suo, & quæcunq; habent alas longas, pennas tamen forinsecas alarum breuiiores quàm corpori conueniat, pro eo quod sine multo motu alarum non possunt impelli, neque bene sustentari in aëre, frequenter mouent alas, quæ si habuerint simul cum prædictis dispositionibus, pennas forinsecas alarum strictas & molles, cum interuallis naturalibus vel accidentalibus, frequentius mouebunt alas volando, si verò duras vel amplas sine interuallis, minus frequenter mouebunt alas, pro eo quod amplitudo pennarum & durities earum, iuuant aues melius sustentari & impelli

peraëra. Inter aquaticas aues plures sunt quæ
 frequenter mouent alas, vt modi anatum, anse-
 rum, mergorum, fulicæ, & plures alix; Inter me-
 dias, modus plueriorum, & alix plures; inter
 terrestres, vt franquillini, modi perdicum, fasi-
 ani, modi coturnicum, & quæ dicuntur anates
 campestres, & plures alix, & inter indiuidua v-
 nius speciei, sunt quædam quæ frequentius mo-
 uent alas alijs, & sunt quædam quæ minus fre-
 quenter. Quæcunq̃ verò aues habent alas &
 pennas forinsecas alarum longiores quàm con-
 ueniat suo corpori, & quæcunq̃ alas breues,
 pennas tamen alarum forinsecas longiores ha-
 bent quàm conueniat corpori, pro eo quod si-
 ne multo motu alarū possunt sustentari & im-
 pelli per aëra, rarò mouent alas, quæ si habue-
 rint simul cum prædictis dispositionib⁹ alarum
 & pennarum, pennas forinsecas alarum duras
 & amplas, sine interuallis naturalibus & acci-
 dentalibus, pro eo quod huiusmodi alæ & pen-
 næ diutius iuuant aues sustentari & longius im-
 pelli, rarius mouebunt alas volando, si verò
 molles & strictas cum interuallis aliquibus, mi-
 nus rarò oportebit mouere alas, cùm huiusmo-
 di pennæ non iuuant aues sustentari in aëre aut
 impelli longè, sine motu alarum; ideo omnis
 auis habens curtas pennas alarum, & molles,
 plus quàm conueniat suo corpori, pro eo quod
 ponderosa est, & omne ponderosum tendit ad
 centrum, si non frequenter moueat alas, ca-
 dendo tendit ad terram. Aues rarò mouentes
 alas volando, sunt modi ayronū albani, huani,
 milui,

milui, & genera aquilarum, & plures aliz de aquaticis, terrestrib⁹, medijs, & omnes aues maiores corpore, rarò mouent alas volando, propter longitudinem alarum & pennarum quam habent, maiorem circulationem faciunt cum mouent alas ad volandum, & alæ & pennæ ductæ per maiorem circulationē, per longius spatium ducuntur, propter hoc tardius reducuntur ad iterandum motum, & sic necessariò rarò mouent alas, similiter è conuerso, illæ quæ curtas habent alas & pennas alarum, motu alarum breuiorem circulationē faciunt, & per breuius spatium ducuntur alæ & pennæ, ppter hoc citius reducuntur ad iterandū motum, & sic necessariò mouent frequenter alas. Inter has etiā quæ rarò mouent alas, sub eadem specie sunt quædam quæ mouent rarius alijs. REX.

Præterea aues habentes longas alas & pennas amplas, cū ante se volunt impellere in volando, mouendo suas alas longas versus dorsum, impellunt ea quantitate, qua contingunt aërem ipsum, & cū longæ sunt alæ multum, & pennæ amplæ, multum de aëre contingunt, quare multus aër multum resistit impulsioni, & ppter resistantiam ipsius, in aperiendo etiam & claudendo alas, alæ rarius mouentur, & hoc accidit simili modo, sicut accidit de motu plūbi lati & acuti, eo quod plumbum latum tardius descendit quàm plumbum acutum, propter maiorem resistantiam, vt dicit Philosoph⁹ in libro cæli & mundi. Quæcunq; autem aues habent alas & pennas forinsecas alarum pro-

portionales suo corpori, scil. quòd neque longiores habent, quàm conueniant, neq; breuiores, sed tantas quantæ conueniunt, pro eo quod ex motu alarum & pennarum, neque maiorem circulationem faciunt neq; minorem, sed mediam inter maiorem & minorem, & sic neque tardant ad iterandum motum neq; properant, neque rarò neque frequenter mouent alas volando, sed inter vtrumque, quoniam tamen medium contingit distare æqualiter ab extremis, & contingit quod appropinquet magis alteri extremorum, si habuerint pennas alarum forinfecas, amplas & duras, non iam verè mediocriter, sed accedendo ad raritatem mouebunt alas volando, & tantò plus accedendo ad raritatem, quantò ampliores & duriores habebunt eas: sed si habuerint eas pennas strictas & molles, non iam verè mediocriter, sed accedendo ad frequentationem mouebunt alas, & tantò amplius quanto strictiores & molliores habebunt eas. Aues quæ mediocriter mouent alas sunt, vt plures modi falconum, & aliz plures de vnoquoque genere. Vniuersaliter de omnibus generibus auium dicitur, quòd quantò habebunt pennas alarum forinfecas ampliores & longiores ac duriores, tontò erunt illæ aues mèlioris volatus, & è conuerso. Patet itaque ex prædictis, quæ sint aues quæ habent in volatu suo vnum modum mouendi alas, de quibus etiam sciendum, quod istum suum modum mouendi alas mutant quando necessitas vrget, verbi gratia, quando timent & quæ-
runt

runt fugere, omnes conantur quando plus possunt frequentius mouere alas; & similiter propter escam acquirendâ, præcipuè rapaces quando conantur rapere prædam, sed quando longum volatum conantur facere, sicut accidit transeundo ad loca longinqua, & redeundo, omnes nituntur rarius mouere alas, frequens enim motio alarum ipsas defatigaret, & defatigatæ longum volatum facere non possent. Inde accidit quòd aues rapaces habentes interualla pennarum, sicut accipitres & nisi, postquam frequentius mouerunt alas ad prædandum, si cõtingit. quòd non capiant prædam, statim extentis alis, & non motis neq; frequenter neque raro, per spatium coguntur euolare, quatenus ab illa defatigatione quam sustinuerunt, in frequentius mouendo alas ad prædandum, quiescere valeant sic' extentis alis, quando etiam ascendere quærunt circumuolando ad altum, mutant modum mouendi alas, sicut accipitres & nisi, postquam per aliquod spacium frequenter mouerunt alas, postea ipsis extentis & non motis, vt quiescant, in circuitu circumferuntur, statimq; cum volunt plus ascendere, iterùm frequenter coguntur mouere alas, deinde circumferuntur extendendo alas, & non mouendo eas per spatium, sic vicissim permutantes motum alarum vt quiescant à labore, quem habent ex frequentiori motu alarum, diu namq; non possunt frequentius mouere alas; per hoc etiam patet quòd frequens motio alarum generata est per fatigationē auium, fatigatio verò

facit quod non diu possit durare frequens motio alarum, & sic necessitate coguntur mutare modum mouendi alas. Vniuersaliter autem omnes quando volant aliquò ad insidendum, tenent alas expansas, nec mouent eas vt melius insidant. Illarum autem auium, quæ in volatu suo diuersimodè mouent alas nulla necessitate vigente, sed naturaliter, plures sunt modi, quædam enim sunt, quæ frequenter mouent alas per spatium, & in eodem volatu suo conclusis alis se impellunt per spatium, sic vicissim complentes volatum suum, vt noctux, & plures de auiculis, & quædam sunt quæ modò frequenter mouent alas, modò rarò, & modò conclusis alis volando per spatium se impellunt, sic vicissim perficientes volatum suum, vt modi picarum, Iayus, vpupa, & quædam alia, & tam hæ quam supra dictæ, pro eo quod habent alas curtas & pennas, & pro eo quod habent distantias inter pennas, non possunt diu volare frequenter mouendo alas, ideo necessariò mutant modum mouendi alas, vt quiescant dum tenent alas conclusas, & per vicissitudines huiusmodi releuantur à fatigatione. Est etiam quidam modus columborum de Syria, qui directè volando naturaliter, in ipso volatu inuersant se bis vel ter, quasi stupefacti essent, & statim iterùm directè volant, quod vnde proueniat ignotum est nobis, nisi hoc faciant alacritate & lætitia. Sunt & alij modi plures mouendi alas de pluralitate, quorū prolixum esset subdere exempla.

Rursus auium quædam sunt velocis volatus

tus, quædam tardi, velociter autem volare dicimus, pertransire in breui tempore spatiū quod transuolant, velox enim est, quod in breui tempore multum pertransit: Et tardum, quod in multo tempore parūm pertransit. Aues itaque, quæ sunt fortes, & habent pectus carnosum & lacertosum, pennasq; alarum forinfecas duras & longiores, & firmas, quoniam per hæc iuuantur amplius impelli in illo breui spatio, sunt velocis volatus, quemadmodum de rarò mouentibus aquilarum genus, bistardæ, modus columborum, galerani campestres & aquatici, species corlinorum maiorum, & plures aliæ, præcipuè quæ habent maiores alas, & maiores pennas, ex motu namq; harum maior circulatio fit, per maiorem circulationem fit impulsio fortior, & sic motus velocior, quod videtur in galeis nauigantibus longioribus remis, & quemadmodum de frequenter mouentibus alas, modi anserum, anatum, & pluerij, & quæ dicuntur anates campestres, franquilini, fassiani, modi perdicum & coturnicum, & plures aliæ. Sed aues quæ sunt debiles & pectus non habent carnosum, neq; lacertosum, neq; pennas forinfecas, duras & firmas, quoniam per hanc dispositionem membrorum & pennarum minus impelluntur, sunt tardi volatus, quemadmodum de rarò mouentibus alas, omnes modi ayronum, & sibi similibium, albani, huani, & plures aliæ, quemadmodum de frequenter mouentibus alas, genera mergorum, fulicæ, modi rallo- rum tam campestrium quàm aquaticorum, &

aues quzdam de regione Orientali, quz dicuntur aues de paradiso, & plures alix tam de aquaticis quàm terrestribus. Amplius, auium dum sunt in volatu suo, quzdam diuertunt & cedunt rapacibus persequentibus eas, quz omnes sunt de rarò mouentibus alas, & non de maioribus corpore, hz quoniam non impediuntur frequenti motu alarum, neq; magnitudine corporis, diuerrere possunt & cedere in volando, vt modi ayronum, albani, huani, cornices, milui, vpupa, vanelli, picz, & plures alix tam de minoribus, quàm de mediocribus; Et quzdam neque diuertunt, neq; cedunt in volatu suo rapacibus persequentibus eas, quz omnes secundum plurimùm sunt de frequenter mouentibus alas, vt modi anserum, anatum, pluerij, falsiani, franquilini, modi perdicum & coturnicum, & generaliter omnes quz frequenter mouent alas, ex eo enim quod frequenter mouent alas, non possunt dare operam ad diuertendum, & ad cedendum, maiores etiam corpore, vt cinni, cofani, bistardz, grues & huiusmodi maiores, pro eo quod magnitudo corporis impedit diuertimenta fieri in volando, & non diuertunt neq; cedunt dum volant. Amplius, auium quzdam sunt curti volatus, quzdam longi, curti volatus dicimus illas aues, quz parùm possunt perseuerare volando & non multùm, de quibus contingit, quod fatigentur suis volatib⁹, vt capiantur aliquando manibus, aliquando canibus, vt sunt falsiani, modi perdicum, coturnicum, franquilini, & plures alix de illis quz frequenter

mouent

mouent alas, nam de rarò mouentibus nullæ sunt curti volatus, propter hoc generaliter potest dici, quod omnes quæ parùm perseuerant volando, sunt de illis quæ frequenter mouent alas, non tamen è conuerso, cùm plures inueniantur de frequenter mouentibus alas quæ nō sunt curti volatus, vt inferius dicetur. Causa autem quare aues non perseuerant volando, & sunt curti volatus, est hæc; in omnibus huiusmodi auibus alæ sunt paræ, quantum ad corpus quod deferunt, & pennæ alarum forinsecæ strictæ cum interuallis pluribus, propter quod oportet eas frequenter mouere alas, & ex frequenti motu talicitius defatigantur, & cùm non possunt diutius in aëre sustentari, quoniam alæ & pennæ non sunt quantæ conueniunt corpori, necesse habent ad terram descendere, & ideo sunt curti volatus; longi verò volatus sunt illæ quæ diu possunt perseuerare volando, quas non potest homo defatigare tantum volatibus suis, quod contingat ipsas capi manibus aut canibus, quemadmodum multæ de frequenter mouentibus alas, quæ diu perseuerant volando vt ayrones, albani, huani, milui, & plures alix, hæc autem omnes sunt longi volatus, quoniam habent alas longas & pennas amplas respectu sui corporis, quod deferunt, vnde diutius possunt in aëre sustentari, de rarò verò mouentibus alas, quæ species rarius mouebit alas, perseuerabit diutius, & longiorem facit volatum, & sub eadem specie, quod indiuiduum rarius mouebit alas, perseuerabit diutius quàm illud quod

non

non tam rarò mouebit. Illæ autem quæ sunt curti volatus, & frequenter mouent alas, adiutorio venti longum volatum faciunt, sci. quando transeunt aut redeunt, & tunc non frequenter mouent alas, sicut, cùm de insula in intulam transeunt, vt coturnices. Item aues quæ habent longas alas & pennas, melius volant cum vento, quàm illæ aues quæ habent curtas alas & pennas, esto quod sint vnus velocitatis in volatu suo sine vento; sed illæ quæ habent curtas alas & curtas pennas alarum, melius volant cōtra ventum, quàm illæ quæ habent curtas alas & longas pennas, esto quod sint vnus velocitatis in volatu suo sine vento. Et illæ quæ frequenter mouent alas suas, sunt melioris volatus directè contra ventum, quàm illæ quæ rarò mouent alas. Plures insunt de minoribus cuiuscunq; modi sint, quæ possint melius volare contra ventum, quàm de maioribus. Omnes etiam aues aquaticæ minus læduntur in volatu suo à pluuijs quàm aliæ, & eadem auis dum habet plumas & pennas sauras seu primas, magis læditur à pluuijs, quàm habens pennas mutatas, & quantò magis nouæ erunt pennæ mutatæ, dummodo per completæ sint, tantò minus læduntur à pluuijs. Amplius, auium quarundam volatus in die tantùm est, sed hoc duobus modis, sc. omnibus horis diei indifferenter, vt modi picarum, columbarum, passerum, & plurium auicularum, aut circa manè & circa serò tantùm, circa manè ad habendam escam pro die, circa serò & noctem, vt aues aquaticæ, quæ exeunt ad pascen-

pascendum in terra, & plures de medijs & terrestribus, nam circa medium diem timent volare, nam tunc propter assumpta pascua sunt ponderosiores & pigriores ad volandum, vnde minus quàm quando ieiunã sunt, possunt resistere rapacibus auibus, vt aquilis & alijs rapacibus. Consueuerunt namque rapaces circa medium diem sublime volare, præcipuè in ætate, & in diebus calidis ad refrigerandum se in sublimi, & exaureandum. Est & alia ratio quæ apparet magis sufficiens, videlicet quod cum aues manè exeant ad pascendum famelicæ factæ, & completa digestionem noctis præcedentis, postquam sufficienter pascua sumperint, de necessitate oportet quiescere tunc, quod in quiete melior sit digestio, quàm in motu. Et volatus quarundam etiam sæpius est in nocte, aut in crepusculis, vt noctuarum, bubonum, vespertilionum, quæ non tunc volant quod melius videant quàm in die, sed quoniam in die volare timent, cum habeantur odio, & verberentur à cæteris. Et volatus quarundam est in die & in nocte vt liuercinorum. Generaliter verò omnes aues dum transeunt aut recedunt, quando cunque ventus fauet eis, de die & de nocte volant, vt dictum est in capitulis de transitu & reditu auium. Volatus quarundam est sæpius prope terram, & infirmus, vt gallinarum, perdicum, fasianorum, pauonum, coturnicum, & cæterarum, quæ sunt grauis & mali volatus, & hoc vtcitò recuperent ad loca suæ defensionis. Et quarundam volatus sæpius est sublimis, vt auium rapacium,

rapacium, & non rapacium plurium, quæ sunt leuis & boni volat⁹, & hoc vt à remotis videant escam sibi, & propter hoc etiam rapaces fuerunt præ cæteris boni visus; sed quæ petunt volare ad alta, aut directè ascendunt vt huani, aut circumvolando, vt ayrones, sed dum cum adiutorio venti quærunt volare, omnes aues altius extoluntur, cum verò ventus est contrarius, quanto plus infra possunt, quoniam ventus plus potest in superioribus. Amplius, volatus quarundam vt semper, in singularitate est, vt auium rapacium, pro eo quod vna quærit rapere prædam alij, vnde vnaquæq; timet, & singulariter volat, propterea quod non potest deglutire escã suam, sed paulatim deplumat, & deinde paulatim morsellatim degustat, vnde dum sic præparat escam suam, timet de alijs rapacibus, & ideo libentius singulariter volat. Et quarundam volatus, vt sæpius, est in societate, vt omnium quæ granatim colligunt escam suam, & semel deglutiunt quod semel accipiunt. Sed volatus qui est in societate, duobus modis est: quædam enim volant ordinatè, vt grues, anseres, anates, & aquaticæ: quædam volant inordinatè & confuse, vt passeres, sturnelli, columbi, quæ ideo in societate volant, quod saluius & securius sunt, maximè cum aibus suæ speciei, quas vnitas & similitudo naturæ consociat & confœderat. Et quarundam volatus est aliquando singulariter, aliquando associatus, vt turturum, & facherarum. Et omnes aues ad pullificandum consociant se mas & fœmina, & ad mutandum loca
propter

propter calorem aut frigus affociant se magis, & quando non pullificant, in maiores turmas congregantur.

CAPITVLVM LV.

De his per quæ pugnant aut defendunt se aues.

Postquàm iam dictum est de iuamento membrorum & plumagij, sequitur vt dicamus, per quæ pugnant & defendunt se aues. Modus itaq; pugne & defensionis, quæ fiunt inter aues generaliter, est aut per membra sua, quæ opponunt ad pugnandum & defendendum, aut per volatum suum, aut per recursum, quem habent ad loca. Per membra verò, sicut per rostrum, per alas, per pedes, & ungues, per hæc verò aut omnia, aut quædam. Per rostrum multis modis, secundum quod multæ sunt formæ rostrorum, aut enim percutiendo, aut mordendo, aut vtrumq; faciendo, & has impugnationes aut defensiones faciunt duobus modis, volando aut non volando. Illæ namq; quæ habent rostrum dentatum & latum, sæpius mordent quàm percutiant, & hoc non volando, volando namque mordent, vti modi cinnorum, pellicani, & genera anserum anatum, & similibus aquaticarum, & naturaliter omnes habentes rostrum latum & dentatum, sæpius mordent quàm percutiant. Sed illæ quæ habent rostrum longum acutum & durum, volando & non volando percutiunt cum rostro, & non mordent nisi ac-
cidenta-

cidentaliter, & postquam percusserint, vt modi ciconiarum & ayronum, habentes verò rostrū aduncum & durum, & acutum, mordent cum rostro tam volando quàm non volando, & non percutiunt, vt aues rapaces, & specialiter vt genus falconum. Genera verò gruum cum longum & durum habeant rostrum, neq; latum vt anseres aut anates, neq; acutum vt ciconiæ aut ayrones, percutiunt & mordent, & vtrumq; faciunt magis non volando, sed plus percutiunt quàm mordent, siue volando siue non volando, quoniam habent formam rostri magis ad percutiendum quàm ad mordendum. Et vniuersaliter, omnes habentes rostrum acutum & durum, percutiunt plus quàm mordeant, mergones verò, qui & corui marini dicuntur, mordendo percutiunt, & percutiendo mordent, & habent rostrum longum, & curuum & incisum. Corui verò cornices & similes, percutiunt & mordent, & habent rostrum durum, acutum & partim recuruum. Quæ verò cauant sub terra pro inueniendis vermibus, modicam vel nullam pugnam aut defensionem faciunt cum suo rostro, quàmuis longum habeant, cum sit rostrum molle per totum, præterquam in principio anteriori, vbi est durum rotundum & hebes, vt sunt corlinorum modi, pluerij, vanelli & huiusmodi, per alas pugnant & defendunt se percutiendo, siue volent siue non volent, percutiunt autem cum alis, sed specialiter cum illis ossibus alarum quæ exeunt deforis dura & acuta vt diximus. Aquaticæ verò quæ se defendunt

cum

cum alis, habent hoc os longum, durius, & grossius cæteris, vt modi cinnorum, anserum, anatum, pellicanorum & similibus, & quædam de terrestribus, vt modi columbarum & bistardarum, & quædam de medijs, vt pluerij, vanelli, liuercini, & corlinorū modi, & omnes cauantes sub terra, per pedes & vngues pugnāt & defendunt se percutiendo, dilaniando branchando, opponendo ipsos vbi expedit, & repellendo nocumentū, & hoc faciunt tam volando, quàm non volando. Grues habent tres defensiones cum pedibus, volantes enim aliquando recalcitrando percutiunt cum pedibus, vt dicitur in tractatu de venatione, & stantes super terram erectè, calcant & subpedicant cum pedibus, sed supinatæ iacentes, percutiunt & lacerant cum illis vnguibus vtriusque pedis, quos diximus. Ayrones verò, non nisi resupinati super terram defendunt se cum pedibus, tunc verò nituntur repellere nocumentum à se cum vtroque pede, quàmuis hoc possint facere debiliter. Sed aues rapaces brancant & vulnerant cum pedib⁹ tam volantes quàm non volantes; Contingit enim quod auium rapacium persequentium, illa quæ fugit porrigit pedes suos fuganti, & sic capiunt & colligant pedes cum pedibus, sed rarò accidit quod auis rapax ad defensionem per se pugnet cum alia rapace. Generaliter verò omnes aues, quæ non habent aduncos vngues, neq; vnum neque omnes, defendunt se nunquam cum pedibus laniando, sed de pedib⁹ suis illam defensionem faciunt, quam vniuersaliter omnes aues

quæ non habent aduncos vngues, anteponiunt namq; pectori suo pedes, vt cum eis repellant aues rapaces. Sunt etiam aues quæ cum pedibus saltant super terram, vt aues rapaces sub se comprimant, vt bistardæ, & anates campestris, similes sunt bistardis, sed longè minores, & in ætate turpem sonum faciunt ad desiderium coitus. Per volatum suum multipliciter se defendunt aues, nam aliæ per longum volatum quærunt euadere, vt grues, aliæ per velocem ad veniendum ad locum defensionis suæ, vt perdicum & coturnicū modi, aliæ per diuertimenta & cessiones quas faciunt in volando, vt modi ayronum, cornices, vpupæ, vanelli, picæ, & plures aliæ. Aliæ verò per volatum ad altiora se quærunt defendere, & hoc duobus modis; aut enim directè ascendunt, vt columbi, turtures, anates campestris, aut in gyrum circumuolando ascēdunt ad defensionem sui, vt ayrones, qui secundum quod dictum est, duplici vtuntur defensione per volatum, diuertimenti scilicet & ascensus. Et omnes quæ per volatū quærunt defendere se ascēdendo idcirco ascendunt, quod non possint superari & vinci ab auibus rapacibus in magis ascendendo. Aliæ sunt quæ quærūt se defendere volando versus loca de quibus timent rapaces, quamuis ad ea non descendant, vt anseres, anates, & plures aliæ de riuera, quæ volant circiter loca in quib⁹ sunt aquæ magnæ, nemora, calami & cannæ, de quib⁹ locis timent aues rapaces, ad huiusmodi enim loca timent descendere & accedere. Aliæ ad maiorem securita-

curita-

curitatem sui, volatum suum faciunt in crepusculis, & in nocte, vt noctuæ, bubones & liuercini, qui pro eo quod sunt timorosi, de nocte volant securius.

CAPITVLVM LVI.

De modo defensionis.

DE modo autē defensionis, quem habent aues refugiendo ad loca securiora, dicendum est, quod vniuersaliter omnes aues ad plus si possunt, refugiunt ad loca natiuitatis suæ, vel ad similia illis. Illæ siquidem quæ natæ sunt prope aquas, ad eas confugiunt, quarum quædam natando in eis solūm habent defensionem, vt pellicani, quædam submergendo se penitus sub aquis, vt modi mergorum, anatum & aliarum plurium, quædam non penitus submergendo se, sed in parte, vt cinni, & anserum modi. Aues verò quæ non natant, neque sunt aquaticæ, timore auium rapacium ad aquas confugiunt, sciunt enim q̄ aues rapaces de aquis timent, & circa aquas debilissimæ sunt, vt dictum est in capitulo, de diuisione auium. Plures itaque auium ad aquas confugiunt, quædam pro defensione sua, quædam pro cibo, quædam pro utroque. Illæ verò quæ natæ sunt inter arbores, ad arbores confugiunt, vt modi cornicum, picarū, & aliorum plurium. Et illæ quæ natæ sunt prope aquas, & ipsæ eadem quandoque inter arbores confugiunt, quandoque ad aquas, vt modi ayronum. Si verò natæ sunt supra prata, frutices, aut dumos, ad ea confugiunt, vt turdi, sturnelli,

nelli; & auicularum plures: Quæ natæ sunt in rupibus, ad saxosa confugiunt, vt rapaces. Sed quæ natæ sunt super terram, & sunt coloris terrestris, in terra latitant, & terræ se recommendant, vt perdices coturnices, coyardi, anates campestrès, calandræ, & auiculæ plures, de quib⁹ multæ sunt adeo stolidæ in cautela sui, quod credentes se esse securas in terra, capiuntur etiã manibus hominum, & quando insequitur eas rapax, in terram confugiunt. Perdices, fasiani & huiusmodi, quoniam sunt curti volatus, & per adiutorium loci quærunt defensionem sibi, nunquam libenter recedunt longè à loco apto defensionis suæ. Defensionibus & impugnationibus prædictis, generaliter vtitur maior pars auium, quædam pluribus, quædam paucioribus. Speciales autem defensiones insunt auibus & propriæ, vt bistardis & anatribus campestribus est propria defensio, emittere longè à se sterco suum in aues rapaces quæ sequuntur eas. Rursum bistardæ & anates campestrès, contra aues rapaces horripilant plumas, agrifando se, & eleuant alas, deponendo caput ad modum gallorum pugnantium, quod propter timorem faciunt, sed tamen bistardæ percutiunt alis in pectore aues rapaces. Sunt & aliæ aues, quæ refugiunt ad societatem & congregationem aliarum suæ speciei, vt inter eas securiores sint, & per eas defendantur, sicut sunt columbi, grues, sturnelli, & aliæ ferè omnes, imò etiam tota agmina in seipsa densius se constringunt, auibus rapacibus facientibus insultum in ea. Quòd autè

in so-

in societate tutiores sint, signum est, quod plures sunt species auium, quæ concurrunt ad defendendum auem speciei suæ sociam, quam auis rapax persequitur, & opponunt se rapaci aui, & nituntur verberare eam, vt grues, anseres, cornices & plures aliz.

CAPITVLVM LVII.

De mutatione plumagij, quam generaliter faciunt aues singulis annis.

Diximus de diuersitate membrorum exteriorũ, & de iuamento eorum, & de plumagio, scil. quomodo nascantur auibus plumæ & pennæ, & de situ plumarũ, & de forma, quantitate, numero & positione pennarum, & de iuamento plumarum & pennarum. Verum quoniam aues singulis annis mutant plumas & pennas, cõuenit vt dicamus de mutatione plumagij, & videamus quare mutant aues plumagium, & quare singulis annis, & quo tempore anni, & quo modo mutant, & quo ordine, & quæ citius explent mutationem, & de differentia plumagij ante mutam vel post. Fuit autem necessariũ & vtile quod aues mutarent dumas, plumas & pennas, quoniam generantur de superfluitatibus humorum, & de debili materia, quæ multis ex causis corrumpuntur, eas namq; ad plus per totum annum durare contingit, & dum procedunt vltius, incipiunt deuariari, vnde si primo anno non mutarentur, tantum corroderentur in seipsis & rumperentur, quod modicam aut nullam operationẽ facerent aues

cum eis; idcirco natura prouidit substituere nouas, per quas expelluntur & cadunt veteres, hæ autem nouæ de abundantibus superfluitatibus humorum generantur, superfluitatum autem copia ex humorum abundantia fit, cuius rei signum est, quod quando aliquis falco perficit suam mutationem citius debito, accidit quod iterum eijcit aliquot de pennis alarum, quas primò inter alias mutauerat, & hoc est propter calorem temporis aperientem poros, & propter nutrimenti & humorum copiam. Præterea capilli & pili, quando rumpuntur aut reciduntur, restauratur quantum fuerat deperditum & amplius, cum per continuam successionem vaporis generatio ipsorum indeterminatam longitudinem suscipiat, plumis verò & pennis non accidit sic, cum enim determinatam habeant quantitatem, si corrodantur, non restauratur eis quod de perditur, quare cum contingat corrosionem vsque ad radicem processu temporis protendi, si non substituerentur alix, careret auis omninò plumis & pennis, & tunc esset insufficienter munita contra importunitates aëris, & prorsus inutilis ad volandum. Singulis autem annis mutant plumagium, cum non sit sufficiens vltra annum; imò contingit quod aues non rapaces plumagium natiuitatis suæ mutant, postquam sunt completæ & perfectæ, & assumunt aliud plumagium quod percrescit & percompletur proportionaliter & continuò, in quo corpus ipsius auis percompletur, & hoc plumagium secundum deponitur & mutatur
item

item in complemento eiusdē primi anni, sicut est videre in fasianis, perdicib⁹ & coturnicibus, & pluribus alijs, quæ primo anno deponunt & renouant plumagium suum semel. Causa autē propter quam in primo anno semel accidat mutatio plumagij in rapacibus, & non rapacibus bis, sumitur ex eo quod dictum est in capitulo de plumagio, scil. quod non rapaces, quibus iminebant plura nocumenta quàm rapacibus, indigebant plumis & pennis à principio, cum quibus & nocumenta fugerent, & escam sibi acquirerent, maximè illis quibus parentes non ferunt escam, & quoniam erant humidioris naturæ quàm rapaces, oriebantur eis pennæ citò, debiliores tamen & molliores, percrecentes citius quàm corpus auis, crescente verò aue, & corpore iam maiore factò, & propter copiam nutrimenti, priores plumæ & pennæ tanquam insufficientes deferre corp⁹ iam maius factum, decidunt, & natura substituit alias firmiores, propter hoc quod humores iam sunt solidiores, & istæ secundæ sufficiunt deferre corpus vsque circa cōplementum anni, & tunc propter abundantiam humorum, deponitur hoc plumagium secundum, & succedit tertium, quod sufficit durare per subsequenter annum: rapacibus verò, quib⁹ non imminet tot nocumenta, & sunt siccioris naturæ, quàm non rapaces, non oriebantur plumæ & pennæ velociter, neq; à principio, sed paulatim, vnde oriebantur firmiores & duriores, percrecentes proportionaliter corpori, propter quod sufficiebant deferre

corpus vsq; circa complementum anni, & ideo semel tantū mutant plumagium primo anno, singulis verò annis succedentibus, semel mutant plumagium, tam rapaces quàm non rapaces, ratione prædicta. Tempus autem in quo incipiunt mutare plumagium maior pars auium, est ver: in vere namq; abundant humores, humorum proinde superfluitates de quib⁹ fit plumagium, & conuenienter fit mutatio plumagij in vere, quoniam succedit æstas, in qua non læduntur à frigore, & per æstatem crescunt & firmanantur pennæ tantum, quod sufficit transitui, quem faciunt aues in autumno ad loca calidatimentes hyemem; nec in alio tempore quàm in vere esset conueniens mutatio plumagij, quemadmodum dictum est suprà de transitu auium. Sunt tamē aliquæ aues quæ in æstate mutare incipiunt, & hæc diuersitas temporū mutationum, accidit secundum natiuitatem ipsarum in diuersis temporibus, vnaquæque enim auis incipit mutare plumagium suum, anno cōpleto, in tempore simili natiuitatis suæ tempore, vt accidit circa mutationem frondium & herbarum in stipitibus & radicibus circa complementum anni sui, renasci incipit prioribus desiccatis, & hoc totum opinamur accidere ex motu superiorum, & diuersis aptitudinib⁹ materiz in quam agit. Modus autem mutandi plumagium duplex est, alius enim est ordinarius, alius inordinarius, ordinarius verò est, quando simul deponuntur multæ pennæ, sed quibus deiectis succedentes tantum crescunt quousq;

iuuare

iuare possunt ad volandum, priusquam deponantur alix, & post hoc deponuntur alix simili modo & ordinatim. Inordinarius verò modus mutandi plumagium est, quando simul deponuntur multæ pennæ, & quando quibusdam eiectis deponuntur indifferenter & alix, nō expectando quousq; substitutz crescant, deinde deponuntur & alix pennæ inordinatim & dissimili modo. Aues itaque rapaces pro eo quod vi volatus debebant acquirere prædam suam, fugientem ante se, habuerunt ordinatum modum mutandi plumagium, ex qua mutatione non perditur volatus, qui eis erat necessarius ad prædandum, sed aues non rapaces terrestres, minus ordinatum modum mutandi habuerunt, non enim indigebant vi volatus ad capiendum escam, cum ipsa esca non fugiat ante eas, veruntamen ad sui defensionem, & ad fugiendum nocumenta, indigebant volatu, vnde non omnino confuse mutant, sed aues aquaticæ natantes, inordinatum modum mutandi plumagium habuerunt, neq; ad fugiendum nocumenta, neq; ad acquisitionem escæ indigebant volatu, cum vtrumq; reperiant in aquis. Ordinem autem qui habetur in mutando plumagiū, experti sumus ferè in aibus rapacibus euidentius quam in cæteris, propter q, de ipso dicemus plenius infra, vbi tractabitur de mutauiū rapacium. Hic tamen dicemus generaliter vt conuenit, aues incipiunt prius mutare pennas quam plumas, pennæ enim longiores sunt plumis, & ad sui generationem & complementum indigent ampliorib⁹

138. DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

plioribus humoribus quàm plumæ, sed si incipiant ducere plumas prius quàm pennas, vel æquè citò, completa esset mutatio plumarū per multum tempus antè quàm mutatio pennarum, & sic aue mutata plumis diu, & non mutata pennis, nō esset complementum mutationis totius plumagij in eodem tempore, quod totum esset contrarium volatui auis; rectum est igitur quod à pennis prius incipiat mutatio, vt cum plumarum incipiet, in eodem tempore cōpleatur mutatio vtrarumque. Mutationem autem plumarū citius explent aquaticæ propter abundantiam humiditatis & humorū, secundò terrestres non rapaces, propter maiorem copiam humiditatis, tardissimè omnium aues rapaces, facta pportione ad eandem quantitatem, sunt enim siccissimæ inter aues. De tempore autem, quantum tempus scil. postulat à principio mutationis vsque ad complementum eiusdem, & de ordine mutationis pennarum in alis & cauda, dicetur plenius, & specialius infrà vbi conuenit. Plumagium autem saurum, seu non mutatum, differt à mutato in eo, quòd generaliter plumæ & pennæ post mutam sint meliores, & alterius coloris, dumx verò plures sunt post mutam, quàm ante mutam, pennæ verò meliores sunt post mutam in eo, quod non tam citò madefiunt, nec tam citò rumpuntur, nec tam facile corroduntur, sicut ante mutam. Quæ itaque nunc dicta sunt de mutatione plumagij generaliter sufficiant.

PRO-



PROLOGVS SECVN- DI LIBRI.

Quoniam in præcedenti tractatu dictum est, quòd venatio quam faciunt homines cum auibus est ars, & quæ ars est, & quoniam est ars venandi aues non rapaces, præcipuè cum auibus rapacibus ea doctis. Et dictum est quare ars huiusmodi nobilior est cæteris artibus venandi, & quoniam etiam dictæ sunt generaliter quædam naturæ auium, aquaticarum scil. mediarum & terrestrium, tam rapacium quàm nõ rapacium, vtilis non modicum ad huiusmodi venationem. In hoc tractatu secundo accedemus magis ad nostrum ppositum, descendendo ad artem ipsam specialius, & ad omnia quæ necessarium est scire & habere illum, qui hanc scire desiderat & exercere. Artifex debet hanc artem suscipere, per doctrinam alicuius experti in ea, & susceptam exercere per se ipsum, qui qualis esse debeat, docetur infra, postquam scil. iam acquisitæ sunt aues rapaces, cum quib⁹ exerceri debet venatio, nõ enim qualis qualis esse debet, sed qui appetat naturaliter, & diligit venationem huiusmodi, & qui per naturam ad venandum sit habilis, & deinde per doctrinam. Materia etiam circa quam, & circa cuius partes versatur tota intentio artificis, quæ materia est aues rapaces, cum quibus exercetur huiusmodi venatio, & quam-

quamuis sunt instrumenta artificis, cum quibus capit aues non rapaces, tamen artifex versat intentionem suam, circa habendas ipsas & instruendas, & circa diuersos modos ipsarum auium rapacium conuenibilium ad venationem. Partes verò huiusmodi materiei sunt diuersæ species auium rapacium, sicut sunt falcones, accipitres, & huiusmodi, de quibus fiet executio sufficiens postea. Partes autem artis diuersæ sunt secundum diuersitatem partium materię, nam alia pars artis est de venatione quæ fit cum modis falconum, & alia quæ fit cum modis accipitrum & nisorum, & hæ partes comprehendunt etiam partes sub se, & sunt etiam partes artis & scientię, secundum modum sciendi, vna in habendo in anima, contemplatione vniuersali, ea quæ docemus non referendo ad operationem, & hæc theórica dicitur, alia in sciendo ad operationem reducere quæ docemus, & hæc practica dicitur. Et cum quis huiusmodi venationem exercebit non secundum intellectum theoricę, qui prius est, neq; secundum scientiam quæ refertur ad opus, dicemus ipsum casualiter operari, non secundum artem, quamuis alioquin bene operaretur in sua venatione, etenim inermes qui in palæstricis se exercent, ferunt aliquando bonos ictus, & ignarus sagittandi percutiet aliquando ipsum signum. Finis qui mouet artificem, est intentio eius, prius vt habeat aues rapaces, quæ edoctæ sunt per suam artem capere non rapaces, eo modo quem ipse vult. Posterius verò vt cum ipsis arte doctis capiat

non

non rapaces, & ex his consequitur vtilitatem triplicem, secundum q̄ dictum est in principio primi tractatus. Principia verò quibus vtitur in arte ipsa, sunt documenta & regulæ traditæ in hoc nostro libro, qualiter esse aut fieri debeant omnia quæ sunt necessaria ad venationem, quæ documenta & regulæ, in eo quod sub compendio debito, & secundum quod exigit recitudo traduntur, artem perficiunt venandi cum aui- bus rapacibus non rapaces. Neq; liuoris oculus nos de prolixitate redarguat, cum neq; eadem inutiliter repetamus, neq; apponamus superflua aut impertinentia, sed tantummodo necessaria huic arti. Operationes verò quibus innitur artifex circa hanc suam materiam, scil. circa aues rapaces, diuersæ sunt & multæ, & antecedentes inuicem, & subsequentes; aliæ namque sunt in cognoscendo aues rapaces, aliæ in acquirendo eas, vt artifex eas habeat, aliæ vt aues rapaces iam acquisitæ detineantur ab artifice, aliæ in mansuefaciendo detentas, sc. quod non horreant conuersari cum homine. Aliæ in instruendo mansuefactas exire de manu artificis, & redire ad eius manus, aliæ in docendo, vt sciant capere illas aues quas artifex vult, & quomodo vult, quas forsân per se non caperent, aut non illo modo: aliæ in vtendo ad venationem non rapacium eis iam arte doctis. Præter has autem sunt & aliæ operationes non modicum vtilis ad propositum, sc. in conseruando aues rapaces in sanitate, quatenus opus quod ab eis requirit artifex bene perficiant, & aliæ in curando

ægrota.

agrotas. Ordo qui attendi debet in arte ipsa secundum hoc, in doctrina nostrorum tractatum huius libri, patet per ordinem operationum, quas diximus, prius namque est acquirere quam acquisitum detinere & mansuefacere, & sic de cæteris, quod totum patebit plenius in quantum quæq; suum locum sortita decenter. Instrumenta autem per quæ artifex in operationibus suis circa hanc materiam consequitur finem intentionis suæ, sunt diuersa: nam quædam sunt in acquirendo aues rapaces, vt retia, laquei, & huiusmodi, cum quibus capiuntur, cum auibus etiam rapacibus quandoq; capiuntur rapaces, verbi gratia cum accipitribus falcones: quædam sunt in detinendo iam acquisitas vt maleclum iacti, & longa, sedilia conuenientia, & huiusmodi: quædam sunt in mansuefaciendo detentas, vt id quod dicitur tiratorium, cappellum, tina balneatoria, & similia: quædam in instruendo ipsas exire de manu, & ad manū redire, vt id quod fileria, seu credentia dicitur, loyrum cum carnibus & sine carnibus, & alia cum quibus reuocantur ad homines: quædam in docendo ipsas vt sciant capere aues quas vult artifex, & quomodo vult, sicut id quod dicitur trahina, siue fiat de grue, siue de ayrone, siue de alia aue, siue de pelle leporina impleta paleis, & sunt multa quæ spectant ad trahinam: quædam instrumenta sunt in vtendo eis iam doctis ad capiendum aues, vt tympanum pulsans, chirotheca circumducta, & huiusmodi: quædam in conseruando sanas, etiam quando iam mutant

tant

tant pennas, vt domuncula quæ dicitur muta, & plumas, & multæ medicinarum: quædam in curando ægrotas, vt ipsæ medicinæ, & vasa necessaria ad dandum ipsas medicinas, de singulis horū instrumentorum dicitur, vbi conueniet. Præmissis verò prologo, redeamus ad intentionem, dicendo primò quid sit avis rapax, nam per definitionem seu descriptionem, maximè declaratur existentia vniuscuiusque; dicitur etiã postmodum quare rapaces, seu de rapina vocentur.

CAPITVLVM I.

Quid sit avis de rapina, & quare dicatur de rapina.

Avis de rapina, est animal volatile, pennatū, terrestre, velocis volatus, modici gressus, vncorum vnguium & rostri, viuens de raptu viuorum animalium, fœmina cuius, est maior masculo. Animal est pro genere in ipsa definitione, volatile est differentia, qua differt à nō volatili, pennatum similiter est differentia, qua differt ab animali volatili non pennato, sicut sunt plura ex speciebus animalium, verbi gratia, sicut vespertilio, apes, genera vermium, & huiusmodi: Nam vespertilio alas habet non pennatas, sed carneas panniculofas, & cartilaginofas, quæ adminiculantur ei in adhæsiōe murorum, lignorum, & similibus, nam debiles habent pedes, quibus inhærere non possent locis quibus latitare volunt. Terrestrè verò est, eò quod est calidius & siccius alijs, scil. aquaticis seu

seu medijs, vnde inhabitare non potest loca huiusmodi qualitatibus opposita, videlicet loca aquosa seu paludosa, quorum naturæ oppositæ sunt & disconuenientes naturis rapacium: nam rapaces sunt calidæ, calore igneo, contrario frigori aqueo, & siccæ siccitate terrea contraria humiditati aquosæ, & dicitur à sapientibus, quod omnia per similia in forma & natura propria conseruantur, & per cōtraria corrumpuntur. Meritò igitur aues rapaces calidæ & siccæ, nō inhabitant loca dissimilia naturis suis, quibus corrumpantur, cūm appetitus cuiuslibet rei viuētis non sit vt corrumpatur res ipsa, quinimò potius vt in sua naturali essentia conseruetur, appetitus enim contrarij viuēti non inest, nisi accidentaliter, sicut cūm viuens ipsum sit ægrum, vel aliqua alia alteratione mutatum; & hoc patet exercentibus se in vsu rapacium, qui cum viderint eos aquam appetere, ægros ipsos iudicant, & proferentes aquam eisdem, ipsos curare intendunt, curati verò tanquam contrariam eorum naturæ non appetunt, nisi fortè eorum paucissimi, qui ex assuetudine forte habent eam assumere, vel forte patiuntur latentem distemperantiam siccitatis. Velocis volatus, est alia differentia, per quam non solū differt ab animalibus non pennatis, verū etiam ab auibus, quæ ferè omnes, de breui volatu & longo, respectu rapacium sunt tardi volatus, nam si sunt aliquæ longo volatu velociores quibusdam de rapacibus, tamen in breui volatu à quibusdam rapacibus attinguntur, verbi gratia,

gratia, anates & huiusmodi sunt velociore ex longo volatu, ita quòd euadunt accipitribus, & quibusdam alijs rapacium, de curto tamen leuiter capiuntur ab eis, Falcones tamen ex longo & curto volatu capiunt eas, & specialiter falcones qui girofalcons dicuntur. Modici gressus sunt, nam vt sepius accidit, aues omnes velocis volatus, modici seu tardi sunt gressus, quia quòd gressu deficit, volatu suppletur, & è conuerso, & hoc manifestum est in hirundinibus, quæ quia velocissimi sunt volatus, pauci vel nullius sunt gressus. Per hanc differentiam, vncorum vnguium & rostri, magis specificè differunt à pluribus maneriebus auium, & ferè ab omnibus, licet dixerit Aristoteles, quod aues omnes vncorum vnguium sint rapaces; licet instantia inueniatur in multis, nam monedula, sturnelli, vultures, & quædam aliz aues, vncos habent vngues, tamen non viuunt de raptu, capiendo alias aues, nec rapaces dicuntur, sine dubio necessaria est hæc consequentia, quod aues si sunt rapaces, vngues vncos habeant, sed nõ conuertitur. Quòd verò additur, viuens de raptu viuorũ animalium, est verè specifica differentia, quæ constituit speciem, præcedentibus addita: Nam vncorum vnguium aues, quæ de raptu viuorum animalium non viuunt, rapaces non dicuntur, sicut vultures & plures, quæ de cadaueribus viuunt, & quædam species anserũ & similes ipsis. Cuius fœmina est maior masculo, hæc est proprietas non modicum substantialis, nam in nullis animalibus nobis notis re-

K

peritur

peritur quod fœmina sit maior masculo, imò æqualis, vel minor in omnibus reperitur; quod quare accidit, rationes quas vidimus super hac quæstione sufficientes dicimus, & in scriptis redigi fecimus, eò quod ab vtentibus venationibus cum auibus rapacibus, sæpe interrogati fuimus de hac quæstione, & sunt hæc.

CAPITVLVM II.

Quare fœmina sit maior masculo.

LEgitur namque in pluribus libris philosophorum, quòd calidum est operans & augmentum efficiens in subiectis, & hoc videmus per signum, nam in quolibet potentialiter humido liquefacto per calidum, magis videtur quantitate liquefactum, licet nihil aliud ei admixtum fuit siue adiunctum in liquefactione; humidum verò est patiens & recipiens, quod si proportionatum est calido, extenditur subiectum, & ad magnitudinis moderatam metam peruenit, Si verò humidum in proportionem excedat calidum, calido ipsum humidum regulare potente, subiectum egredietur metam prædictam, excedens magnitudinem, ppter quod magnum efficietur, exinde subiectum recedens à moderata quantitate magnitudinis, plus & minus secundum proportionem ipsius humidi ad calorem. E contrario accidit paruitas corporis, videl. humido modico existente in comparatione calidi operantis, sic ergo multiplicata caliditate respectu humidi, corpus paruum efficitur,

citur, humido verò proportionato, corpus moderatæ magnitudinis efficitur, sed ipso humido excrefcente in comparatione calidioris corporis, efficitur magnitudo moderantiam prædictam excedens, vnde cum aues rapaces sint calidæ natura, & ferè calidiffimæ, eo quod in eis multiplici de caufa caliditates cõueniunt, funt enim calidæ comparatione generationis, eò quod aues, Aues namque in comparatione ambulabilium tanquam mobiliores calidæ iudicantur, funt & rapaces, quarum rapacitas à caliditate contingit, intusio enim feu raptio aliarum auium animofitatem ostendit, & animofitas nõ nifi à calore contingit, Iudicantur etiam calidæ à complexione, & comparatione facta ad temperantiam melioris & temperatoris speciei ipfarũ. Vnde cum tot de caufis caliditates conueniant auib⁹ iftis, meritò calidiffimæ iudicari poffunt, ex multiplicitate enim fubiecti calidi, caliditas vigoratur & intenditur, sed fignum est in hoc, quia videmus plura grana piperis magis calefacere paucis. Et generaliter multa calida fi eiusdem speciei funt, vel diuerfarum coniuncta, cõpofita plus calefaciunt paucis, & hoc accidit, quia profunditas operatur ad augmentum, & multiplicationẽ operationis qualitatum, propter quod multus ignis ad multam materiam comburendam fufficit, & paruus non nifi modicam, eò quod fuffocaretur à multa. Cum igitur humidum auium rapacium, fit humidũ viscofum & fiffum, quod apparet ex neruofitate multa ipforũ, diuerfificatur ratione fexus;

nam in foeminis, quæ sunt frigida & humida, respectu marium, frigiditas sexus ipsarum calorem obtemperat seu remittit, & humiditas, spissum & viscosum reprimit, quare efficitur magis obediens ostensioni, quæ fit à calore agentis. Calor igitur intensus rapacium, & humidum spissum & terreum ipsarum, remissa à frigiditate, & humido aquoso sexus foeminei, magnitudinem corporis in foeminis operantur, & è contrario in masculis paruitatem, iuxta illud Philosophi: contrariarum causarum contrarij sunt effectus. In vnaquaque specie auium rapacium, secundum Plinium, pauciora sunt individua individuis cuiusvis speciei non rapacium, facta videl. comparatione vnus speciei rapacium ad vnicam speciem non rapacium. Secundum Plinium verò ideo dicimus, eò quod in maiori parte hoc accidit, quia in paucis est reperiri instantiam, dicitur enim quod aliqui sunt modi non rapacium, in quorum tota latitudine speciei non est nisi vnica mas, & vnica foemina, sicut dicitur de phoenice, & huiusmodi: nos verò illud non credimus. Aues rapaces pauciores sunt cæteris auibus non rapacibus in specie sua, & sunt terrestres, & nullæ de rapacibus sunt aquaticæ, seu medix: quia cum vniuersaliter calidiores & sicciores sint aquaticis & medijs, contrarietatem habent aquæ, in duabus qualitatibus, vna actiua & alia passiuæ. Cum etiam non habeant formam membrorum neque plumagij, conuenientia aquis, non inhabitant aquas, nec etiam possunt esse in aquis, neque

stando

stando super pedes suos, cùm longa crura non habeant, quemadmodum ayrones & grues, neque natando, cùm non habeant pedes coriales, neq; digitos sicut anseres, anates, fulicæ, & ferè omnes aquaticæ. Quòd si rapaces conuersarentur in aquis, plumæ & pennæ ipsarum ad hoc ineptæ, madescerent plus quàm aquaticarum, & vngues sui remollirentur, ex quo vix possent volare, & aues quas prædarentur, vix cum vnguibus vulnerare & retinere: propter has causas aues rapaces horrent manere in aquis, tanquam valde debiles in eis. Sunt tamen quædam similes aquilis, sed minores eis, quæ manent circa aquas in altis rupibus, & de alto prospicientes pisces in aquis, repente ruunt in ipsos, & piscantur eos, & de ipsis viuunt, quæ ob hoc dicuntur aquilæ piscatrices. Hæ habent meliorem formam membronũ, & melius plumagium ad hoc, quàm ceteræ rapaces, & licet piscentur in aquis, non tamen propter hoc aquaticæ iudicantur, cùm earum mansio non in aquis, sed terris semper existat.

Dicto, quid sit avis de rapina: quia auium rapacium quædam sunt, quibus homines non vtuntur, sicut sunt omnes modi aquilarum, quæ propter ponderositatem non sunt habiles ad portandum, & maximè si portarentur, omnes aliz aues rapaces quas portari contingeret, cum eisdem nec portari possent decenter, nec volare timore ipsarum. Et sunt etiam aliz aues rapaces paruz, sicut sunt sineciliones, vbleti, & huiusmodi, & tam his, quàm maioribus prædictis,

homines non vtuntur nisi ad delectationem tantum, & raro, & pauci, solum vt ostendant quendam nouum modum, per quem credantur scire, plus enim appetunt videri esse scientes, quam esse. Idem tamen modus est docendi illos, de quibus agere volumus, & istos tam maiores quam minores. Nos verò de istis tractare non intendimus, sed de illis auibus rapacibus, quib⁹ vtuntur homines, & sunt habiles ad portandum, & vna non in tantum timet aliam, q̄ volatū suum dimittat, si ad inuicem portarentur, & quicquid vtilitatis & delectationis fieri posset cum prædictis, magis & commodius fit cū istis. Ideo intentio nostra est de istis tractare.

Homines autē venationem exercent cum auibus rapacibus, aut ad delectationem, aut ad vtilitatem, aut ad vtrumq; vel pro se, vel pro alijs, capiendo aues magnas, mediocres, & paruas, aquaticas & campestris, vtpote grues, bistardas & similes, & fasianos, perdices, anates, & huiusmodi, & quandoq; capiunt quadrupedia vt gazellæ, caprei, hinnuli capreorum, hinnuli ceruorum, vulpes, lepores, cuniculi, & similes; & quoniam hæc omnia capi non possunt cum vna specie aut duabus auium rapidarum, sed cum pluribus & diuersis: propter hoc dicendum est, quot species sint auium rapidarum, quibus homines vtuntur in sua venatione.

Aues rapaces quibus homines vtuntur, & apud nos vsi sunt ab antiquo, sunt iste: Gyrifalci, sacri, gentiles peregrini, gentiles & laynerij, quæ quidem sub vno genere comprehenduntur, videlicet falcone. Sunt

Sunt & de auibus rapacibus austures, speruerij, & istæ comprehenduntur sub accipitre. Omnes autem aues rapaces, tam istæ quibus homines vtuntur, quàm aliæ quibus non vtuntur, sub istis duobus generibus comprehenduntur, scil. in falcone, & accipitre. Et quàmuis hoc nomen accipitris plures attribuunt soli austuri, nos tamen dicimus ipsum esse genus omnium auium rapacium, quæ capiendo & non feriendo, vt falco, venantur, sicut prædicti anstur. & speruerius, vtpote hoc nomen ab accipio accipis deriuatum, & super hoc loquimur latius in libro de austure, vbi loquimur specialius & diffusius, dicentes de conuenientijs & differentijs.

CAPITVLVM III.

De combinatiõne ipsarum ad pullificandum.

Aves rapaces pullos suos à se abijciunt quàm statim possunt volare, & diuidunt se vna ab alia per diuersa loca, propter quod rarò aut nunquam in simul reperiuntur, vt expressius dicitur infra. Et ideo rarò possunt se inuenire, nisi ad certum locum expectant se inuicem aliquando, in locis prope nidum suum consuetum, qui à quibusdam area dicitur, pluries enim visus est mas prius venisse ad nidum expectans illic foeminam per multos dies, quousque veniret, & similiter foemina expectat marem, & aliquando simul veniebant ad nidum.

CAPITVLVM IV.

In quibus regionibus & locis
nidificant.

AVes omnes rapaces nidificant in septimo, sexto, quinto, & quarto climate, & credimus quod in alijs climatibus nidificent. Aliæ autem in vno climate, & aliæ in alio. Girofalco autem quia sunt maiores, fortiores, audaciores & velociore omnibus alijs falconibus, ideo primò de ipsis tanquam de dignioribus tractare volumus, & subsequenter de alijs speciebus falconum. Nidificant autem girofalci in fine septimi climatis & ultra, in rupibus altis, videlicet in fixuris, cryptis, foraminib⁹ saxorum, montium, quorū quidā nidificant in saxis remotis à maritima, & quidā in rupibus p^pinquis maritimæ, & isti sunt meliores & nobiliores illis qui nidificant in remotis à maritima: & quidam nidificant in insulis maris Septentrionalibus, scil. in altis rupibus ipsarum, videl. in quadam insula, quæ est inter Noroegiam & Gallandiam, & vocatur Teutonicè Yslandia, & Latine interpretatur contracta, seu regio glaciæ, & isti sunt meliores omnibus alijs, Girofalco enim dicitur à Hiero, quod est sacer, inde Gerofalco, id est, sacerfalco, vel à Kyrio, quod est Dominus, inde Kyrofalco, id est, Dominus falco, secundum Græcam linguam. Citra septimum clima, neque nidificant, neq; morantur etiam, neq; elongantur ab ipso, versus sextum, quintum aut quartū, sed à septimo climate ultra, versus polum arcticum

eum nidificant & morantur. Falcones verò sa-
 cri nidificant in minus frigidis regionib⁹ quàm
 girofàlci, qui nidificant in septimo climate &
 citrà, & frequentius in Britannia & Bulgaria.
 Audiuius etiam quod vbi nascuntur, nidifi-
 cant super arbores, quia in partibus dictis non
 sunt montes, sed arbores tantum. Credimus ta-
 men, quod si in dictis regionibus essent mon-
 tes, libentius in rupibus nidificarent, cùm sint
 de genere falconum. Falcones autem qui di-
 cuntur gentiles peregrini, nascuntur in Septen-
 trionalibus regionibus valde longinquis, vltra
 septimum clima prope Oceanum, & nidificant
 in insulis Septentrionalibus, & in altis locis, si-
 cut nidificant girofàlci. Falcones autem abso-
 lutè gentiles, nascuntur à septimo climate ver-
 sus regiones Meridionales, & nidificant sicut &
 peregrini. Peregrini verò dicuntur, quasi de pe-
 lago venientes, pro eo quod veniunt de remo-
 ris & per Oceanum transeunt, dicunt autem
 multi quod falcones gentiles peregrini, & fal-
 cones absolutè gentiles, sunt duæ diuersæ spe-
 cies falconum, & non vna, vident enim maio-
 rem diuersitatè inter falcones peregrinos gen-
 tiles, & gentiles absolutè, quàm inter peregri-
 nos ad inuicem, & quàm inter gentiles ad inui-
 cem, videlicet quod peregrini tardius mutan-
 tur, & maiores & pulchriores sunt. Nos verò
 nullam videntes substantialem differentiam
 inter ipsos, dicimus quod sit vna species falco-
 num, non diuersæ, sed sunt similes & propin-
 qui & vtrique gentiles: diuersitas verò quæ est

inter ipsos, accidit propter diuersitatem regionum in quibus nascuntur, nam peregrini tardius mutant, quia tardius nascuntur, tardius autem nascuntur, & maiores sunt & pulchriores, propter frigiditatem locorum in quibus nascuntur, diuersitas enim regionum, colorum & morum, non facit homines aut animalia esse diuersæ speciei. Falcones autem laynerij, nidificant in omnibus climatibus, & in locis prædictis, sicut & alij falcones, & si nidificant in illis regionibus in quibus sacri, nidificant in arboribus sicut & sacri. Prædictæ verò species falconum, generaliter nidificant in rupibus altis & in locis prædictis, vt aues quas capere volunt pro pastu suo & pullorum suorum, quas & per violentiam longi volatus quem habent acquirunt facilius, videant, & auantagiū habeant capiendi eas, & quod homines & aliæ aues rapaces, seu animalia alia ipsos offendere nequeant.

CAPITVLVM V.

De accipitribus.

A vstures & nisi nidificant in omnibus climatibus, in nemoribus videlicet supra arbores, & quantò sunt magis imæ, tantò creditur esse audaciores, & comunis opinio est, quod hoc faciunt quia capiunt magnas aues, vt eas ad nidum facilius deferant, & in conuallibus, vt prædam quam capiunt in locis altioribus circum circa nidum, ad nidum suum volando à sursum deorsum facilius ferant, imò quando capiunt prædam in planis, aut in conuallibus,
ipsam

ipſam licet cum labore trahunt & deferunt trahendo ad locum altiorem nido, & de illo loco volant deſcendendo ad nidum facilius cū præda, & propter aquas quæ plus ſunt illic quàm in altis locis, præcipuè tempore ſuæ nidificationis; æſtuo ſcil. tunc quoniam illas aquas frequentant aliæ aues propter potum & balneum ipſorum, & ſic non multum recedunt à nido quærentes prædam, & propter locum humidiorum & frigidiorum, quo defenduntur à calore ſolis; & quia ſicut rapaces, & calidæ naturæ, affectant locum ſuperiorem. Vniuerſaliter autem omnes aues rapaces quæ naſcuntur in ſeptimò climate, & vltra, verſus polum arcticum, ſunt maiores, fortiores, audaciores, pulchriores, meliores & velociores, quælibet autem in ſpecie ſua. Maiores, quia in ſeptimo climate & vltra, eſt frigus intenſum, cõtemperans caliditatem intenſam quam habent ex eorum natura, & ex contemperatione caliditatis augmentatur humiditas, & ex augmentatione humiditatis dilatantur membra, & ſic efficitur corporis magnitudo, quod probatum eſt apertius & plenius in præcedenti capitulo, vbi dicitur quod foemina eſt maior maſculo. Fortiores, quia boreas & frigiditas illic dominans, corpora conſtituit fortiora, claudendo enim poros cutis, naturalem calorem & ſpiritus exhalare non ſinit, quæ duo conſeruata in corporibus, ipſa reddunt fortiora, robore in neruis conſiſtente, & conſeruatur ſanguis & alij humores puriores: in calidis vero regionibus, ſpiritus, calor & humores euaporant,

rant, & vis deficit, item membra sui corporis sunt grossiora, quod est signum fortitudinis in animantibus. Item audaciores sunt in frigida regione, quia sentiunt se habere vires, & habent sanguinem calidum & purum, magis quam in calida regione; Aues enim ipsæ, per conseruationem caloris & spirituum, in intrinsicis fortius digerunt, & calidiores generant humores, item habent cor magnum respectu sui corporis, & calidissimum, quæ duo faciunt ad audaciam, & per appetitum vehementem, habent audaciam inuadendi aues quas rapiunt, & probatio huius est, quia vidimus corda accipitrum quorundam de Septentrione grossa, & inferius habentia duos corios, & hos accipitres vidimus audaces valde. Pulchriores secundum formam membrorum, quia cum in huiusmodi auibus sint magis & melius cõtemperati & proportionati humores, sicut superius dictum est, & ex humorib⁹ nutriantur & foueantur membra, & membra ipsa in auibus istis magis & melius sunt proportionata, & propterea aues istæ sunt pulchriores: item secundum speciem plumagij aues istæ sunt pulchriores, quia cum ex humiditate pennæ proueniant in auibus, & ex eo proueniat calor, ex quo calore color rubeus generatur, & aues istæ calidiores sunt naturaliter omnib⁹ auibus, color in istis inuenitur magis rubeus quàm in alijs, qui color rubeus pulchrior iudicatur in auibus istis, secundum quod inferius plenius dicetur. Item meliores & velocioræ sunt ex rationibus supra dictis. Dicimus ergo

ergo aues rapaces quantò nascuntur propin-
quiores septimo climati, tantò sunt maiores
fortiores, audaciores, pulchriores, meliores &
velociores, quælibet tamen in specie sua.

CAPITVLVM VI.

De ouatione.

TEmpus quod est inter conceptionem &
ouationem, non distinguimus, cùm de die
conceptionis constare non possit. Aues de ra-
pina ponunt oua quandoque tria, quandoque
quatuor, quandoque quinque, & de istis non
semper veniunt filij ad perfectionem, aut quia
quædam de illis sunt oua venti, aut quia toni-
trua permutant ea, aut ex aliquo accidenti cor-
rumpuntur.

CAPITVLVM VII.

De cubatione.

DE tempore cubationis ouorũ auium ra-
paciũ certi non sumus, pro eo quod plu-
res de auibus rapacibus nidificant in regionib⁹
longinquis, & nimis remotis à nobis, de quibus
notitiam habere nõ possumus, opinamur tamẽ
iplos cubare oua sua infra quadraginta dies.

CAPITVLVM VIII.

De plumis, lanulis, & pennis.

IN nascuntur primò pullis auium de rapina
nouiter genitis, illæ quæ non sunt vt pili, neq;
vt lanulæ, sed habent naturam inter vtrumque
quæ cooperiunt eos, & à frigore quoquo modo
defen-

DE ARTE VENANDI CVM AVIB:

defendunt. Secundò innascuntur lanulæ, & à quibusdam dicuntur dumæ, hæ sunt exiles & molles, densiores & longiores primis, hæ plus cooperiunt & plus defendunt illis, & his natis cadunt illæ. Tertiò innascuntur eis pennæ, quas pennas non firmant ita citò, pro eo quod sunt, siccioris naturæ cæteris, & siccitas repugnat velocitati clementi, & quia omnes aues de rapina longiores ponunt pennas respectu sui corporis, firmant autem pennas ipsas circa duos menses quas pennas primo anno suæ natiuitatis, in quo dicuntur sauræ, semel mutant, non bis secundū quod mutant cæteræ aues non rapaces. Pennæ verò maiores, quæ sunt in alis & cauda ipsarum, in pluribus sunt sub certo numero, non rapacium verò non sic.

CAPITVLVM IX.

Quomodo pascuntur à parentibus.

Modus matris rapacium in pascendo pullos suos talis est: quousq; pulli firmiores fiant quod possint volare, dum sunt adeo nouelli & teneri, quod non possint rumpere carnes, portat ipsis carnes in gutture suo, & euomit carnes deponendo eas ante ipsos. Carnes autem hæ sunt de auibus, aut si defuerint aues, de quadrupedibus, quas capere possit, calefactas itaque huiusmodi carnes in sia, quæ dicitur gorgia, decisas, minutas & inceptas digeri, dat pullis suis, nam sic alteratas & minutas carnes facilius digerunt pulli, & in quantitate debita pascunt

pascunt eas, & horis conuenientibus, manè sci.
& serò. Postquam verò iam fortiores sunt rostro
& alijs membris, non amplius portat ipsis escã
in gorgia sua, sed portat in pedibus suis aues de-
plumatas, & ponit ante ipsos, & aliquando de-
plumat eas ante ipsos, aut carnes, si auiculas non
habuerint.

CAPITVLVM X.

Qualiter mater docet eos aucupari.

Quando pulli in nido iam sunt facti maiu-
sculi & fortiusculi, mater portat ante eos
auem morticinam, & docet illos eam depluma-
re, & pasci ipsa deplumata, & hoc facit pluries.
Postquam verò iam sciunt deplumare, & co-
gnoscunt iam aliquantulum, portat eis auem
viuam partim deplumatam, vt non possit bene
volare, quam priusquam ostendit eis, finit vola-
re vt potest, & filij insequuntur eam, & si ali-
quis capiet eam, mater conuocabit alios, vt alij
pulli pascantur de ea ipsa aue, & si fortè aufu-
giet auis illa, volat mater & iterum capit, & di-
mittit eam ante filios, & statim cùm aliquis ce-
perit illam, & erit intētus circa prædam occi-
dendam & comedendam, mater alios phibet,
vt nō impediãt illum. Et sic docet volare pul-
los suos & aucupari.

CAPITVLVM XI.

Quomodo expellantur à parenti-
bus, & quare.

Pulli autem postquam sciunt volare & au-
cupari, mater fugat eos à tota contrata,
quia

DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

quia si venarentur vnà cum matre, in vna contrata, non rapaces aues fugerent, & minus inuenirentur de ipsis, & sic vix parentes haberent cibum sufficientem sibi & filijs, & si mater caperet aliquid, filij auferrent ei, & vnus alij. Sic ergo postquam docuerint ipsos aucupari prædam, expellunt eos à se, & à tota contrata; ipsi autem fugati diuiduntur à parentibus, & à se inuicem, vnusquisque singulariter intendens venationi suæ, & prædantur grillos, bruchos & scarabeos, & in defectu bruchorum & huiusmodi, quos mori contingit aut fugere ad . . . & modica frigora, capiunt auiculas & bestiolas quascunque retinere possunt.

CAPITVLVM XII.

De loco, quem eligunt, donec in regione morantur.

PVlli auium rapacium postquã expulsi sunt à parentibus, in quacunq; regione morantur, semper sibi eligunt vnum locum altum, eminentem & expeditum, videlicet aut in arbore, aut in petra, aut in gleba, vt longius videre valeant, & facilius capiant prædam, pro esca ipsorum, ad quem locum libentius redeunt ad quiescendum, dum fuerint in eadem regione, nisi per aliquam causam cogantur dimittere regionem.

CAPIT

CAPITVLVM XIII.

Quomodo exeunt ad prædandum, & ad acquirendam sibi escam.

AVes rapaces manè exeunt ad prædandum, quæ postquam comederint, redeunt ad loca propria suæ mansionis; quod si cibus quem manè sumpserint, non sit eis sufficiens vsque in crastinum, quia fortè non ceperunt magnam prædam, sed priusquam completerent sibi pastum, cogebantur ipsam dimittere, post nonam iterùm exeunt ad prædandum. Visum fuit etiam aliquando, quod falcones venabantur & prædabantur per noctem, maximè in plenilunio, quoniam de die nihil rapere poterant, ex quo potest coniecturari, quod & cæteræ aues rapaces idem faciant aliquando, non naturaliter, sed necessitate urgente, vel quia propter aliquod aliud impedimentum quod habuerunt, in die aliquid capere non potuerunt.

CAPITVLVM XIV.

De transitu ipsarum, & quare transeunt, & de modo transeundi.

AVes rapaces solitariè transeunt, timentes de alijs rapacibus ne auferant sibi prædam, propter quod nunquam vadunt cum alijs rapacibus, siue sint suæ speciei, siue non, quia natura rapacium est, auferre prædam alijs rapacibus, si simul se inueniunt; transeunt autem rapaces & propter temperiem aëris, sicut & cæteræ aues, quam-

162 DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

quamuis calidiores sint cæteris auibus, & melius possint sustinere frigus, & quia oportet eas transire, nam cum viuant de alijs auib⁹ non rapacibus quas rapiunt, & illæ aues transeant quæ sunt sibi esca, ipsæ sequentes ipsas transeunt.

CAPITVLVM XV.

De tempore anni, & temporum qualitatibus.

AVes rapaces transeunt in tempore anni videlicet in autumno, & in qualitatib⁹ temporum sicut cæteræ aues non rapaces, siue de nocte, siue de die, cum habile tempus habuerint, & dimittunt omne id quod faciunt, siue pascantur, siue dormientes quiescant, & arripiunt iter suum cum ventis, vnde vidimus rapaces quibus proiecimus prædam, quod dimiserunt prædam quam sibi parauerant, & comedere volebant, adueniente sibi vento conueniente ad transitum.

Rex Manfredus.

NEcessitas verò quare veniuntur falcones de nocte est hæc: cum adueniente tempore transitus, properent falcones ad transitum & festinant, ne forte tempus aptum ipsi transitui turberit, & fiat ineptum, & potius velint aliquo dierum non pasci, quam perdere tempus transeundi, accidit quod transeundo in die nõ curent de pastu, vnde si contingat plenilunium esse, vt falcones videre valeant, auem venantur, & capientes ipsam pascuntur.

CAPITVLVM

LIBER SECVNDVS.

CAPITVLVM XVI.

De quibus locis transeunt, & ad quæ loca, quare morantur in locis ad quæ transferunt, & quàm diu.

DE quibus locis transeant aues rapaces, & ad quæ loca, & quare morantur in locis ad quæ transferunt, & quàm diu, non facimus speciale capitulum, quia vniuersaliter id quod dictum est in capitulo de quib⁹ locis transeunt, & ad quæ loca transeunt descendunt generaliter omnes aues, conuenit tam rapacib⁹ quàm non rapacibus.

CAPITVLVM XVII.

De reditu ipsarum, & quare, de modo redeundi, tempore anni, & temporum qualitatibus.

Aues rapaces redeunt solitariè, & circa tempora veris propter temperiem aëris, & redeunte esca sua, quemadmodum transferunt eum eadem, & in temporum qualitatibus sicut redeunt cæteræ aues; redeunt & ad pullificandum & generandum sibi simile, vt saluetur species, secundum quod dictum est in generali capitulo de reditu auium. Aues rapaces magis abundant in frigidis regionibus, vt in septimo climata & ultra, maximè tempore veris & æstatis, pro eo quod sunt calidissimæ naturæ, & aër septimi climatis magis conuenit suæ naturæ quàm aër calidæ regionis, maximè cum tunc in-

tendant ad nidificandum, & aues quæ sunt præda & cibus ipsarum, tam aquaticæ quàm terrestres, tunc magis abundant in regionibus supra dictis, & quia inueniunt illic arbores multas, syluas & rupes altas, in quibus possunt nidificare, & se à nocementis tueri, syluas & arbores pro genere accipitrum, & rupes pro genere falconum, pro eo etiam quod regio septimi climatis & vltra, adeò est spatiosa & ampla, quod aues rapaces possunt ibi melius nidificare & prædari, sine contrarietate vnius cuiusque. Tempore verò autumnii & hyemis, magis abundant in calidis regionibus, pro eò quod aër ipsarum regionum eo tempore magis est eis temperatus, quàm frigidarum regionum, & tunc magis abundant in ipsis regionibus cæteræ aues, quæ sunt cibus & esca ipsarum, vt dictum est in capitulo, de transitu autum non rapacium.

CAPITVLVM XVIII.

De cognoscendis falconibus per formam membrorum, & plumagium, comprehendens tantum formam & colorem pennarum, & de Electione pulchriorum.

R E X.

CVm sæpe legeremus & relegeremus hunc librum, vt fructum scientiæ caperemus, & ne vitio scriptoris aliquid remanserit corrigendum, finito præmio, inuenimus quod Dominus pater noster subsequenter ordinauerat capitulum istud inter alia capitula, videl. de modis

dis quibus habentur falcones; tamen inter capitulum istud & proœmium, erant chartæ non scriptæ, quibus reperiis existimauimus aliquod aliud capitulum deesse, & omissum fuisse, quod scribi debebat in eis, post spatium verò temporis, dum quæreremus quaternos & notulas libri istius, eo quod videbamus ipsum ratione scriptoris correctione egere, inuenimus in quibusdam chartulis quoddam capitulū, intitulatum De plumagio falconum. Quo capitulo docebantur differentie falconum per membra, & plumagia ipsorum: nos autem rememorantes dubietatis quam habuimus, cum perlegendum librum peruenimus ad capitulum prædictum, quod proœmium sequebatur, ubi credebamus aliquem fuisse defectum, propterea quod chartas non scriptas videramus ibidem: visum fuit nobis, quod capitulum de forma membrorum, & plumagio falconum, illic locari debebat, eò quod capitulum de cognoscendis falconibus, capitulum de habendis ipsis præcedere debet, & quod ignota & incognita, si querantur reperiri non possunt, quia quod est in cognitu, qualiter reperitur? & si accidit inueniri, non est ratione scientiæ, sed fortune, propter quod vti inuentoris intentio non frustretur, & auem vnius speciei loco alterius non acquirat, vidimus præponendum esse capitulum quo docetur qualiter cognoscantur falcones, & in quibus conueniant & differant ratione plumagij & membrorum, capitulo, quo docetur qualiter habeantur.

CAPITVLVM XIX.

De Girofalconibus.

Melior forma membrorum, & melior proportio in Girofalconibus est hæc: quod superior pars capitis sit æquè iacens, non tumida in sursum, posterius capitis amplum & spaciosum. Anterior pars capitis, quæ est supra oculos, sit ampla, supercilia exeuntia forinsecus, oculi concavi, nares largo foramine amplæ, rostrum grossum, curuum & durum, collum versus caput gracile, versus spatulas grossum, amplitudo & spatiositas ab vno humero ad alium per latitudinem dorsi, iuncturæ alarum medietate tendentes versus caput, quæ à quibusdam dicuntur pulsiones alarum, dum alæ non sunt expansæ neque extensæ, tendant versus caput in sursum; & non deorsum; corpus eius descendat vniformiter in subtilius & acutius vsque versus caudam, hanc formam dicunt Geometræ formam pyramidalem; tenet alas ambas comprehensas & eleuatas ad dorsum, non dependentes neque dependentes, vna ala versus caudam supponitur alteri, & interfecant se in modum crucis. Pennæ maiores alarum, tam cooperientes alias, quàm illæ quæ sunt coopertæ, hoc est, tam superiores quàm subteriores, sunt latæ & duræ; pennæ cooperientes, quantò plures subteriores cooperient, & quantò longius versus extremitatem coopertarum, tantò erit melius, omnes pennæ caudæ, quando non volat, sunt recollectæ & adunatæ sub duabus superioribus

ribus, quæ dicuntur coopertoria. Locus gorgiæ est amplus & profundus, gorgia post multum cibum parùm turget, & plena cibo est rotunda, pectus torinsecus prominens & carnosum & densum, ancha spatiosa, tibiæ curtae & grossæ, palma grossa & ampla, digiti longi, macri, asperi, squamosi, distantes ad inuicem, spatiosi, ungues macri, curui & acuti, plumæ quæ sunt sub maiorib⁹ pennis caudæ, quæ vocantur brachæ, sunt densæ, & tendunt versus extremitatem caudæ, vt suppleant & claudant internalla maiorum pennarum caudæ, quando volant, plumæ coxarum quæ sunt à genibus supra, sunt longæ, & tendunt versus caudam. Vniuersaliter omnes plumæ & pennæ magnæ & parvæ nō sunt hirsutæ neque horripilatæ, sed comprehensæ ad corpus, & relectæ inuicem, item totum corpus eius maius est quàm in cæteris falconibus & ponderosius.

CAPITVLVM XX.

De plumagio Girofalconum.

Plumagium Girofalconum sic se habet: alij enim sunt grisei coloris, alij albi coloris aut subalbidi, maximè in pectore, alij sunt medij inter album & griseum, ab aliquibus dicuntur cannauacij. Albi plus albescent circa pectus, sed dum sunt infra primum annum, super dorsum habent colorem in plumis partim album partim subruffum vel subrubeum; postquã verò sunt mutati, subruffedo mutatur in

nigredinem, & albæ pennæ sunt albiores & clariores, & rostrū albi girofalci & vngues tendunt ad albedinem, plusquā in ceteris girofalci. Grisei antequam sunt mutati, sunt diuersi plumagij, nam alij sunt fusci seu sub nigri, alij sunt subrubei, & hi duobus modis: nam quidam eorum sunt non guttati super dorsum & caudam, & quidam sunt guttati super dorsum & caudam, quidam plus, quidam minus. Subnigri post mutationem fiunt grisei, obscuri, subrubei; non guttati fiunt grisei clari, subrubei; & valde guttati, fiunt cannabacij. Medij inter albos & griseos pluribus modis fiunt quā alij: nam quidam eorū tendunt plus ad albedinem, alij magis, alij minus, & quidam tendunt plus ad griseitatem, & horum alij magis, alij minus.

CAPITVLVM XXI.

De laudabiliori plumagio in Girofalconibus.

DE laudabiliori plumagio in girofalconibus vix possemus dicere quale sit, quoniā visi sunt de omni plumagio eorū boni. Et nos iam habuimus de omni plumagio bonos, sed albi quoniam sunt pulchri, & rarò habentur de eis, quia apportantur à magis remotis locis: quā ceteri, habentur rariores, post hos cannauacij secundum eundem modum. Quicumq; igitur girofalconum habebunt ea quę diximus, laudabiliores erunt. Qui verò approximabunt his, quantò plus approximabunt, tantò laudabiliores erunt post illos.

CAPIT-

LIBER SECVNDVS.

CAPITVLVM XXII.

De sacris.

Sacri secundum formam membrorum sic se habent, approximant enim girofalconi in magnitudine corporis, plusquam ceteri modi falconum, sunt tamē minores girofalci, habent caput magnum rotundum, rostrum breuius, corpus subtilius & longius in proportione sua, alas longiores, caudam etiam longiorem, pectus minus carnosum & minus densum respectu sui corporis, quam girofalci, digitos pedum habent breuiores. Per bonam formam & proportionem in sacris, & per pulchrū plumagium eorundem, non potest haberi certum signum de laudabilitate ipsorum, quemadmodum habetur in girofalconibus, & ceteris modis falconum, multoties enim visi sunt falcones sacri bonæ formæ membrorum, & pulchri plumagij, qui non erant veloces, nec in alijs bonitatibus laudabiles: & è contrario, visi sunt sacri indecentis formæ & turpis plumagij, veloces & in ceteris bonitatibus laudabiles, ut igitur habeatur certitudo bonitatis eorum, ad alia signa recurrendum est.

CAPITVLVM XXIII.

De plumagio.

Sacri, dum dicuntur sauri, hoc est, antequam sunt mutati, inueniuntur de diuerso plumagio: nam alij fiunt bruni tendentes ad nigredinem, alij sunt subrubei, alij sunt flauī, qui

DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

omnes post mutationem parum dissimulantur
in plumagio à se non mutatis.

CAPITVLVM XXIV.

De gentilibus peregrinis.

Gentiles peregrini sunt minores falconibus
Sacris, & conueniens forma & melior, est
in eis qui habent quædam de melioribus formis
grosfalconum, scil. rostrum grossum & curuum,
seu aduncum, nares amplas, supremum capitis
planum & æquum, non eleuatum neque tumo-
rosus, oculos concauos, supercilia foris promi-
nentia, posterius capitis spatiosum, collum cur-
tum, & prope caput subtile, & versus spatulas
grossius, partem colli inter spatulas eleuatam,
fossam inter pectus & collum habet amplam &
profundam, in qua locatur pars meri recipien-
tis primo cibum, & in qua fossa præparatur an-
tequam ad ventrem pertranseat, vt illa fossa
post cibum multum sumptum non infletur ni-
mis, & sit rotunda, pectus prominens foras, &
plenum, densumq; carnosum. Illæ plumæ quæ
vocantur bracæ, sunt longæ & copiosæ plumis,
& sunt eis pendentes sub genibus versus caudâ,
crura grossa & curta, palmæ pedum sunt amplæ.
digiti sunt expansi, longi & macri, vngues au-
tem magni. Ab ~~una~~ spatula vsq; ad aliam est am-
plitudo & spatiositas per medium dorsi. Loca
in tertia iunctura alarum, vnde incipiunt nasci
pennæ longiores alarum, quæ quando alæ non
sunt expansæ, videtur altior prior pars alæ, sunt
eleuata ad superius in directo capitis. Alæ sunt
eleuatae super dorsum, non decedentes cum de-
bent

LIBER SECVNDVS. 21

bent se interfecare super renes. Plumę dorsi sunt amplę & rotundę in extremitate sua. Pennę maiores alarum, tam coopertę quàm illę quę cooperiunt, quę cooperientes vocam^r vados, & coopertas vocamus cultellos, sunt planę, non crispę, amplę & durę. Omnes pennę & plumę sunt comprehensę & constrictę ad totum corpus. Pennę maiores sunt collectę sub duabus quę dicuntur coopertoria. Falconum gentiliū peregrinorum, dum sunt fauri, quidam sunt bruni simpliciter & absolute, qui nullam marginem habent in pennis, aut tendunt ad rubedinem secundum magis & minus, habentes marginem rubedinis, aut tendunt ad pallorem secundum magis & minus, habentes marginem palloris. Item ruffi, aut sunt ruffi simpliciter & absolute, non habentes vllam marginem neq; in dorso, neq; in cauda, aut tendunt ad brunedinem secundum magis & minus, habentes marginem tendentem ad brunedinem, aut tendunt ad faluedinem secundum magis & minus, cum margine simili. Item falui aut sunt simpliciter falui & absolute, qui non habent marginem in dorso neq; in cauda, aut tendunt ad rubedinem secundum magis & minus, cum margine simili, aut tendunt ad pallorem secundum magis & minus cum margine simili. Maculę quę sunt in anteriori parte falconis, quę scilicet sunt à gula per totum pectus vsq; ad ovariam, aut sunt grossę omninò aut minutę omninò, aut partim grossę & partim minutę, scilicet à collo vsq; ad furcam pectoris. minutę, sed à furca

à furca pectoris vsq; inferius grossa. Item ipso-
rum peregrinorum quidam sunt desuper gut-
tati in pennis, quæ sunt in dorso in alis & cau-
da, quidam non sunt guttati. Item habentium
guttas, quidam eorum habent guttas subrubeas,
quidam subpallidas, item quidam rotundas
guttas, & quidam oblongas; item quidam ma-
iores, & quidam minores; item quidam mul-
tas, quidam paucas. Item peregrinorum bruno-
rum, alij habent plumas & pennas in dorso, alis
& cauda marginatas subalbedine cum pallo-
re, quidam marginatas subrubedine, & horum
quidam habent marginem ampliorem, quidam
strictiorem, & præcipuè in extremitate pen-
narum. Item peregrini subrubei & falui, possunt
diuidi quantum ad maculas, quantum ad gut-
tas, quantum ad margines pennarum, secundum
suum modum, quemadmodum peregrini bruni.

Incipiemus itaq; de brunis, id est de fuscis,
qui tendunt ad rubedinem, quamuis sint aliqui
credentes quod huiusmodi falcones non sint
de manerie illorum qui dicuntur gentiles pere-
grini, tum quia pauci inueniuntur de ipsis, tum
quia sunt fusci, & dissimiles valde subrustis &
faluis, de quibus habetur maior copia quam de
ipsis brunis & fuscis: nos verò ipsorum opinio-
nem contradicimus, quod isti bruni sunt de
melioribus & pulchrioribus peregrinis, maxi-
mè si habuerint formam membrorum prædi-
ctam, & plumagium quod dicemus in præsentem.
Sciendum est igitur, quod huiusmodi fuscos seu
brunos tendentes ad rubedinem, vocamus il-

los

Los qui habent colorem brunum. permixtum
 rubedini, adeo quod nec ille color sic mixtus
 possit dici brunus, nec verè rubeus. In meliori-
 bus de istis, suprema pars capitis debet habere
 quasi coronam quandam in circuitu capitis, de
 plumis rubeis, pars illa corij, quæ est inter duri-
 tiem rostri, & primas plumas capitis, scil. ubi
 sunt nares, quam vocamus ceram, debet tendere
 ad viriditatem. Plumæ quæ sunt in maxillis
 sub oculorum parte, sunt subrubeæ, sequentes
 verò quæ sunt circa aures, debent esse falvæ, &
 tendere ad rubedinem. Pennæ supra dorsum,
 debent esse brunæ brunedine quæ tendat ad ru-
 bedinem, & debent esse marginatæ margine ru-
 bedinis, & quantò talis margo erit amplior, tan-
 tò erit conuenientior, & melior, & debent esse
 sine guttis. Pennæ maiores alarum sint brunæ
 & marginatæ vt diximus. Pennæ caudæ eiusdè
 coloris cum pennis dorsi, & similiter margina-
 tæ, & sine guttis, laudabiliores & pulchriores er-
 runt quantò margines pennarum caudæ maio-
 res erunt: item margines pennarum caudæ, si
 tendunt ad rubedinem, melius erit, de illis di-
 co, qui habebunt pennas caudæ marginatas,
 quàmuis in omnibus sint minus ruberæ pennis
 dorsi prope extremitatem. In omnibus falco-
 nibus habentibus pennas caudæ marginatas,
 consueuerunt esse illi margines in plurib^{us} sub-
 albidì & pallidì, magis quàm in extremitatibus
 dorsi, & hoc accidit, quia margines pennarum
 caudæ remotiores sunt à corde, & à principio
 caloris naturalis, qui est in corde, vt extrema fo-
 liorum

DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

liorum in arboribus palleſcunt ex diminutione caloris, & defectu nutrimenti, & extrema capillorum in canitie; item dicti margines in cauda, ſi pallidi ſi corroſi inueniantur, accidere poteſt ex eo quod falco frequētius percutit terram & alia corpora ſubiecta cum eis, quàm cum extremitatibus pennarum dorſi. Macula nigra in plumis ſub gutture ſint groſſæ, & non multùm longæ, & ſint æqualis magnitudinis & ſimilis coloris circa guttur, per totum pectus. Plumæ ſub alis debent tendere ad rubedinem. Plumæ ſuper partem coxarum, debent habere amplum ſatis illud brunum, quod habent per medium ſui, ita quod reſiduum ex vtraque parte plumæ dictæ, ſit rotundum & ſaluum, tendens ad rubedinem. Plumæ coxarum habeant maculas coloris macularum pectoris, neq; ſubtiles neq; acutas, ſed ſint conuenientes, in ordine quantitate & colore, non confuſæ: item eadem macula plumarum coxarum, debent longitudine ſua eſſe ordinatæ, & ſimiles inuicem. Color pedum ſolet reſpondere colori plumagij falconis, hoc modo: quòd ſi falco fuerit brunus, color pedum cõſueuit eſſe viridis, & quanto brunior eſt falco, tanto magis habebit pedes colore virides, & quanto plus tendet ad rubedinem, tanto pedes tendent magis ad viriditatem citrinam, & in hoc quidam magis, quidam minus, & ſi fuerit rubeus, viriditas pedis tendet magis ad citrinum, & ſi fuerit de ſaluis, viriditas tendet plus ad albedinem, & in hoc quidam plus quidam minus, ſecundum intentionem & remiſſio-

remissionem coloris plumagij. Color autem pedum respondebit colori illius loci in rostro qui dicitur cera; accidit tamen quod color pedum & ceræ in aliquibus falconibus discordent à plumagio, & inuicem. scil. color pedum à cera, sed hi non consueuerunt esse laudabiles, quænt admodum illi in quibus concordat: & si color ceræ concordat plumagio, & pedum non, minus malum est quàm si neutrum concordaret plumagio.

CAPITVLVM XXV.

De peregrinis brunis, & de subruffis & faluis, qui retrahunt ad colorem meliorem, & ad meliorem formam.

Qvicunque peregrinorum fuscorum seu brunorum, plus retrahent ad supradictum plumagium, & ad supradictam formam, illi plus laudabuntur, & chariores erunt & pulchriores. Illos vocamus brunos tédentes ad rubedinem, qui plus tenent de brunedine, & sunt plus brunni quàm rubei, & illos vocamus rubeos tédentes ad brunedinem, qui habebunt plus de colore dicti plumagij, in dorso, in plumis & pennis, & in alijs quæ diximus; & qui habebunt plura conuenientia secundum suum plumagium, de ipsis melior spes erit.

CAPITVLVM XXVI.

De disconuenienti plumagio, & disconuenienti proportione membrorum in peregrinis.

Peregrini falcones, qui sunt pallidi guttati, & maxime guttis liuidis, & finis pennarum non est marginatus, & si est, margo est pallidus, & cauda grisei coloris, dissimilis colori dorsi, & maculae antepectus sunt minutae, & plumae super partem coxarum habent maculam quae est per medium sui, adeo strictam, quod residuum ex utraque parte maculae plumae, est quasi constitutum, & plumae sub alis sunt pallidae tendentes ad luteum, & plumae coxarum non habent similitudinem, neque ordinem, neque in quantitate, neque in colore, sed potius confusionem, & maxime qui habent colorem croceum in cera & pedibus, & reliqua signa erunt contraria signis laudabilibus supradictis, tales inquam falcones peregrini habent plumagium disconueniens, & de quo non est spes, quantum ad signum coloris. Item quicumque peregrinorum habebunt formam in membris & figuram dissimilem praedictae, quae conuenientior est inter omnes, illi erunt minus chari, & minus laudabiles, & quanto plus habebunt de contrariis bonae formae, tanto erunt illaudabiliores. Falcones peregrini postquam mutati sunt, efficiuntur corpore grossiores, & pennae alarum & caudae, sunt curtiores, ampliores & duriores quam laurz, & in anteriori parte eueniunt albae, & super

& super dorsum bisei coloris, & aliqui ipsorum falconum, illorum præcipuè qui non sunt pulchrioris plumagij, habent maculas super dorsum, & caudam per transversum, tendentes ad brunedinem, & hoc secundum magis & minus, respectu coloris quem habuerunt quando fuerunt sauræ, & quantò plus sauræ tendunt ad pallorem, tantò magis mutatae sunt albæ, & quantò plus sauræ tendunt ad brunedinè, tantò minus mutatae eueniunt albæ, & maculæ circa gorgiam sicut erant sauræ per longum, sunt similiter & mutatae, sed fiunt subtiliores, & omnes aliæ maculæ à gorgia inferius quæ fuerant sauræ per longum, mutatae eueniunt per transversum, & sic tam istæ quàm aliæ super gorgiam, efficiuntur brunæ, & hoc secundum magis & minus, videlicet maculæ quæ in sauritie fuerunt brunæ, in mutatione efficiuntur bruniores alijs maculis, quæ in sauritie non fuerant tantum brunæ, & pellis circa oculos & pedes illorū, qui mutantur syluestres, efficiuntur crocei coloris.

CAPITVLVM XXVII.

De falconibus gentilibus absolutè.

Falcones gentiles absolutè, quando sunt sauri, secundū maneriem plumagij trium modorum sunt, sicut & peregrini, & qui plus condat ad illa duo, scil. ad plumagium & formam falconis peregrini bonæ formæ, laudabilior habebitur. Et licet dictum sit, quod falcones gentiles absolutè sint eiusdem speciei cum falconibus

M

pere-

peregrinis, tamen in aliquo differunt, videl. quod sunt corpore minores, habent caput rotundius & minus, rostrum curtius, pedes minores in sua proportione quàm peregrini, & color cuiusque maneriei in falcone gentili, non est ita viuus & pulcher sicut in peregrino eiusdem maneriei. Et ad illam pulchritudinem plumagij, & illam decentiam membrorum quas diximus, omnes peregrini magis appropinquant, cuiuscunq; maneriei sint, quàm gentiles, & aliqui eorum habent eam totaliter, gentilium verò vix aliquis aut nunquam. Et quia sunt multæ conuenientia inter gentiles & peregrinos, secundum plumagium & formam membrorum, & paucæ differentia, & illa differentia, inter se tantum parùm distant, quod non potest adeo lucidum declarari, vt cognoscatur per plumagium & formam gentilis à peregrino, & quod aliquando etiã aliquis in hoc non erraret, nisi ex longo vsu: in operationib⁹ verò, quia multùm differunt inter se, & differentia ipsæ sunt inter se valde distantes, per eas de leui potest cognosci vnus ab altero, secundum quod apparebit in capitulis de operationibus ipsorum. Quando verò falcones gentiles sunt mutati, eueniunt pennæ eorum in omnibus sicut & pennæ peregrinorum, sunt tamen plus guttatæ in dorso & cauda quam pennæ peregrinorum, quia non sunt ita pulchri sicut peregrini.

CAPL

CAPITVLVM XXVIII.

De Lanerijis.

Falcones Lanerij minores sunt gentilib⁹ falconib⁹ absolute, & habent caput & collum grossiora ad proportionem suorum corporum quam alij falcones, sunt longi & subtiles, parum carnosi, pedes habent paruos, digitos pedum grossos & curtos & coloris flauis, & eorum quidam sunt bruni, quidam tendentes ad rubedinem, & pro maiori parte pallidi, & generaliter omnes sunt guttati in dorso, sed quidam plus, quidam minus. De his verò dicere non possumus qui sunt meliores, secundū formam membrorum & maneriem plumagij, quia de qualibet forma & manerie membrorum inueniuntur boni & minus boni: nos tamen illos reputamus pulchriores, qui secundū formam membrorum & maneriem plumagij magis assimulantur falconibus sacris. Falcones lanerij postquam mutati sunt, eueniunt albi ante pectus, & super gorgiam habent maculas nigras, paruas & rotundas, & à gorgia inferius habent maculas nigras, & per transuersum & super dorsum. Et quidam sunt grisei coloris, & habent maculas grossas nigras albedine marginatas, & per transuersum, qui post mutationem efficiuntur deteriores, quam fuerant in sauritie, quia non sunt ita audaces, neque ita veloces.

Dicto de falconibus secundū genus suum, & de omnibus speciebus ipsorum, quibus homines vsū sunt, videndum de austure & niso.

M 2

Dicen-

Dicendum est & de speciebus accipitrum quib⁹ vtimur, sed quia intendimus specialem tractatum de eis facere, exinde tacemus ad præsens, dicemus tamen differentias quas habent falcones inter se nidafios & ramagios.

CAPITVLVM XXIX.

Dicto de forma & plumagio conuenienti austurum saurorum, & eorum qui mutati sunt: Dicendum est de Speruerijs.

Speruerij sunt minores alijs auibus de rapina, quibus frequentius vtuntur homines, & quia secundum formam membrorum & maneriem plumagij, assimulantur austuribus, licet sint alterius speciei, tamen illi qui appropinquant formæ membrorum conuenienti, & pulchro plumagio austurum, sunt laudabiliore, habent tamen maculas per transuersum, & maculas caudæ similiter pertransuersum, & si aliquis inuenitur qui maculas caudæ habeat, vt dictum est de austuribus, pulchrior iudicatur. Speruerij mutati habent maculas per transuersum in anteriori parte, sicut erant sauræ, & illi sunt pulchriores, qui habent plumagium, sicut dictum est de austuribus mutatis. Vnum tamen sciendum est, quod quando Austures & Speruerij infigunt aciem ad videndum aliquid, nigredo pupillæ oculorum videtur magnificari, & quando non, minorari. Et aliquando vidimus austures & Speruerios habentes pupillam oculorum magnam, ad modum falconum, sed falcones

eones nunquam visi sunt habentes oculos ad modum aulturis, vel Speruerij.

CAPITVLVM XXX.

De differentijs falconum nidafiorum
& ramagiorum.

Falcones differunt inter se, quando sunt nidafij à ramagijs, nidafij vix possunt nutriri, quin in membris læsionem aliquam patiantur, & si non læduntur in membris, vix esse poterit, quod ita pducant totas pennas amplas & claras, & viridis coloris sicut ramagij, & rarò producunt eas quod non sint aliquæ ex ipsis corrosæ vel affamatæ, nec pducunt eas ita proportionatas ad inuicem sicut ramagij, & hoc contingit, quod non pascuntur ita bene ab hominibus cum conuenienti cibo & hora, sicut à parentibus, neque custodiuntur neque nutriuntur in sic puro aëre sicut in loco vbi nidificant, & color pedum & ceræ est magis albus in nidafijs quàm in ramagijs, nec vngues, nec rostrum nidafiorum sunt ita politi, lucidi & acuti, sicut ramagiorum, item nidafij sunt magis clamorosi & hiantes quàm ramagij, & quando nidafij pascuntur, horripilant pennas, cooperiendo partem ipsorum & rostro & pedibus, cum manus custodis eis porrigitur, partem defendunt, qui dicuntur griniosi, & quantò citius extrahuntur de nidis, tanto plus habent de prædictis proprietatib⁹, & quantò tardius extrahuntur, tanto minus habent de ipsis proprietatibus,

& magis simulantur ramagijs, & differunt inter se inuicem in operationibus. Quod infra dicetur, in capitulo vniuscuiusq; per se.

CAPITVLVM XXXI.

De modis per quos habentur falcones nidafij.

S Equitur dicere modos per quos habentur falcones nidafij: Modi autē secundū quos habentur plures sunt. Vnus modus est quando extrahuntur de nido. Alius modus est, quando iam exierunt nidum, & capiuntur cum cæteris instrumentis, ad huc non multū elongati à nido. Tertius modus est, quando capiuntur tempore veris, quando sc. fugientes frigus mutant se, & transeunt ab vna regione in alteram. Quartus modus est, quando etiā tēpore hyemis capiuntur, in regionibus in quibus remanserunt ad hyemandum. Quintus modus est, quando capiuntur tempore veris, quando scilicet redeūt ad loca natiuitatis suæ, vnde recesserant, vt dictum est, propter frigus; & tam inter illos qui transeunt, quā inter illos qui redeunt capiuntur sauri, & aliqui mutati vna muta vel pluribus. Illi verò qui habentur à nido, habentur similiter pluribus modis. Vnus modus est, quando accipiuntur oua de nido, & submittuntur auibus domesticis ad cubandum, sed iste modus, quoniam aues sic exclusæ pauci vel nullius valoris sunt, nullatenus est approbandus. Alius modus est, quando ipsi extrahuntur de
nido

nido non habentes plumas vel pennas aliquas ad volandum, sed tantummodo illas quæ dicuntur lanulæ ad tuitionem sui corporis contra frigus. Alius modus est, quando lanulæ iam deciderunt, quamuis non omnes, & tunc sunt quasi varij de lanulis ex plumis simul mixtis. Alius modus est quando lanulis prorsus depositis, pennæ & plumæ sunt augmentatæ eis, sed nondum exeunt extra nidum, neque ad volandum, neque ad venandum. Inter omnes istos modos, illi qui minores & juniores extrahuntur, sunt deteriores ad id quod intenditur. Quapropter quanto maiores poterunt extrahi extrahantur à nidis, quando enim diutius nutriuntur à matre, tanto erunt meliorum membrorum & meliorum pennarum & fortiores, neque fient clamorosi seu frequenter hiantes, neque erit tantum periculum in nutriendo ipsos postmodum parentes, siquidem pro nutriendis pullis suis venantur carnes conuenientes, & dant eis ad comedendum in tempore conuenienti debitam quantitatem, & propter hoc, pulli nutriti meliori nutrimento, habebunt pennas & plumas meliores, & singula eorum membra, & totum corpus augmentabuntur in melius. Si verò extrahuntur parvuli de nido; quoniam homo nutriens, nescit habere modum in his quæ necessaria sunt, quantitatem & qualitatem, tam in pascendo quam in custodiendo, erit periculum nutriendi, quoniam de facili morerentur, & ad paruam occasionem quamlibet, vel fierent læsi læsione perpetua, in aliquo suorum

184 DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

suorum membrorum, vel erit periculum si eua-
dant sani, quod raro accidit, non erunt fortes
neque pennæ eorum firmæ, quantum illorum
qui nutriuntur in nido, propter quod, quanto
tardius poterunt extrahantur de nido.

CAPITVLVM XXXII.

De modo accedendi ad nidum.

Modus accedendi ad nidum vt inde extra-
hantur, diuersus est, secundum quod nidi
in diuersis locis erunt: nam si nidus erit super ar-
bores, ascendet homo super arbores, & extrahens
ipsum de nido, ponet eos in calatho, & portabit
eos ad loca in quibus nutrire volet eos: si verò
nidus erit in fixuris rupium, ligatur homo cum
funibus, & ligatus demittitur de cacumine ru-
pis, vsq; ante cryptam in qua est area nidi eorum,
& intrans accipit eos: & sunt alij qui alios mo-
dos excogitant accedendi ad nidum vbicunque
sit. Illi autem approbandi sunt, in quibus omnis
diligentia omnisq; cautela adhibetur, dum capti
salubriter portentur ad locum in quo nutrien-
di sunt.

CAPITVLVM XXXIII.

De præparatione loci in quo nutriuntur, & modo nutritionis eorum.

Dictus est modus quo habentur extracti de
nidis: dicendum est, quomodo præparan-
dus est locus in quo nutriuntur, & quomodo
nutrientur, deinde dicentur alij modi secundum
quos habentur, postquam dimiserint nidum.

Locus

Locus itaque in quo nutriendi sunt paruuli falconum, sit in loco campestri, distante ab arboribus & à syluis, in turri aut in domo alta solitaria, nutriebantur enim à parentibus suis in altis locis longinquis à sylua, præterea falcones naturaliter diligunt loca campestria, multitudine arborum carentia, & in talibus locis venantur, vnde si nutrirentur in syluis aut inter arbores, postquam creuissent, licet nondum firmi, hùc & illuc extra suum locū volarent ad loca campestria, quoniam naturaliter condelectantur in eis, neq; redirent libenter ad locum in quo nutriebantur, quamuis pulli falconum sicut & cæterarum auium, dum adhuc sint teneri nutriantur per alium, si aliquando auolauerint & consuetudinem habeant redeundi ad locum in quo nutriuntur. Ex quo sequitur, quod pulli falconum non possint de facili re haberi, cum libentius in campestribus morentur, quàm ad syluosa loca redirent, & ex vsu recedendi à loco arboroso in quo nutrirentur, possent aufugere & amitti. De loco verò in quo nutriri debent pulli accipitrum secus est, vt dicitur in tractatu de accipitribus. Item in uento loco ubi conuenienter nutriri possunt, præparatur eis locus paruus ad similitudinem nidi sui, & de simili materia de qua erat nidus, aut de alia conuenienti. Locus autem hic paruus, debet esse apertus in tribus partibus, vt ventum Septentrionalem, Orientalem, & Occidentalem recipiant, & Solem ab Oriente & Occidente: à parte verò Meridiei sit clausus, ne Austerni venti noceant eis, dissol-

uendo humores de capite, reddendo eos pigriores & debiliores, & ne calor solis pen-
 narum & malorum humorum. Esca verò quæ
 fit conueniens dictum est, qualis debeat esse di-
 catur nunc. Carnes quæ debent dari pullis fal-
 conum, sint crudæ, quia resistent melius fortit-
 tudini caloris ventrium ipsorum, quàm coctæ,
 talibus enim vtuntur qui genuerunt eos, & isti
 deberent vti talibus iam etiam maiores. Sint
 teneræ carnes, imò teneriores quæ poterunt ha-
 beri, & propter hoc debent carere neruis, venis,
 arterijs, cartilaginibus, ossibus & pinguedine,
 quæ omnia dura sunt digeri. præcipuè à nouiter
 genitis, erunt autem teneriores quæ erunt de
 pinguioribus & non macilentis auibus, bestijs
 domesticis & non domesticis. Sint recentes,
 quoniam dum recentes suas proprias retinent
 qualitates, & sunt adhuc calentes calore natu-
 rali, suum saporem bonum non mutant, quæ si
 diu steterint postquam fuissent separatæ de ani-
 mali cuius erant, exhalante & exspirante calo-
 re eorum naturali, calor extraneus subintrans
 humiditates earum corrumpet, vnde faceret
 malum saporem, & corruptos humores genera-
 ret. Sed si tamen non poterunt semper haberi
 recentes, illæ quæ parùm steterint & refrigue-
 runt, dari poterunt hoc modo, quod tantùm
 caleant primitus in aqua dulci calida, donec
 perueniant ad caliditatem similem suæ calidi-
 tati quam habebant in animali cuius fuerant,
 sic enim minus erunt nociuæ. Sint de animali
 sano, nam carnes infirmorum animalium, pro
 eo quod

eo quod malas habent qualitates, malum nutrimentum facerent. Sint de auibus aut bestijs mediocris ætatis, quoniam benè digeruntur, & benè incorporantur, ex quo pennæ consurgunt duriores & firmiores, & si essent de nouiter genitis, & iunioribus, tam volucris quàm bestijs, tam domesticis quàm nō domesticis, molle & minus firmum facerent nutrimentum, quædam plus quædam minus; vnde videmus quod carnes pullorum gallinæ parùm nutritificant ipsos, & molles carnes generant, & citò de corpore dissoluuntur, & signum est, quod dantur aliquando carnes de iuniorib⁹, ad hoc quod venter falconum solubilis habeatur: Et si carnes essent de senibus aut senioribus, nimis siccum & durum facerent nutrimentum, & non sine multis superfluitatibus, quia essent duræ ad digerendum. Habitis carnibus dictarum qualitatum, pro eo quod pulli rapacium quàm diu sunt in ætate nouiter geniti, carent fortitudine rostri & unguium, & cum ipsis non possunt decidere carnes neq; minutare sicut libi expediret, conuenit vt priusquam dentur eis minutatim incidantur, & minutatim ante eos ponantur super tabulam vnã ligneam, & hæc fiant tantò diligentiori cura, quantò erunt iuniores, nam periculum est in nutriendo tam paruas, & esto quod nutriantur, minus boni consurgunt, & tardius habentur ad id quod intenditur, quia minus habuerunt de nutrimento matris, propter hoc dictum est supra, quod quantò maiores poterunt extrahi de nidis, extrahantur.

Iam

Iam verò adultis & maioris ætatis, poterunt dari carnes minus teneræ, & minus minutatæ quàm prius, quia cum rostro & unguibus minutabunt eas, quod enim cætera animalia comedentia carnes faciunt cum dentibus suis, hoc faciunt aues rapaces cum unguibus tenentibus & cum rostro scindente, ad hoc autem incidunt & minutant, vt melius transglutiant & digerant. Illi verò qui non habent carnes, & propter hoc dant caseum recentem aut recoctam, minutant & pōnunt ante eos, & cauent omninò, quod neq; caseus neq; recocta sint saliti aliquo modo. Et illi qui in defectu carniū dant oua cum lacte, hoc modo faciunt: Accipiunt oua gallinarum & rumpunt ea, & in cacia vel capice lignea aut ferrea, quæ tamen sit stagnata, pōnunt ea, sed in rumpendo ouum, remouent summitatem testæ oui, & albumen & vitellum, postea deponunt in cacia, & implent lacte eandem testam, & miscent cum oue in cacia, & quot erunt oua, tot testas implebunt lacte & miscebunt, & simul mixta super agitando decoquunt ad lentum ignem carbonosum, vt neque fiant dura, neque mollia, & huiusmodi esca tepida data pullis rapacib⁹, melior est quàm recocta, vel cateus. Et de esca qualis esse debeat, & qualiter preparata dictum. Quantitas autem cibi neq; sit superflua, neq; diminuta: nam si erit superflua, aut euoment, aut non euoment, si euoment, non nutrit eos & debilitabuntur, si non euoment, nō poterunt digerere, quia multus, & ex cibo non digesto, sequetur suffocatio caloris

caloris naturalis, & ex hoc malum nutrimentum, & debilitas virium, & grauitas membrorum, & generatio malarum pennarum. Si erit cibus diminutus, calor naturalis tendet ad extinctionem, sicut ignis per subtractionem lignorum, & erunt macilenti, debiles, & generabuntur in ipsis pennæ corrosæ, & inconuenientes in forma & longitudine. Oportet igitur ex his quæ dicta sunt, quod neq; sit superfluous neq; diminutus, sed sit quantitatis quæ ipsis conueniat, scilicet pullis maioribus corpore aut ætate, maior, minoribus minor, & similiter illis qui erunt calidioris naturæ, & calidiorū ventrium, maior, secundum quod vna species calidior est quàm altera, & vnum indiuiduum vnus speciei quàm aliud eiusdem: Illis verò qui erunt minus calidæ naturæ, minor. Caloris autem naturæ sunt signa, quod sint benè digerentes, ut dicit Hippocrates in aphorismis: Eorum quæ velociter & copiose nutriuntur, veloces & copiosi secessus fiunt, calidorum ventrium erunt quæ citius digerunt, & citius & bene egerunt, & bonam egestionem faciunt, secundum portionem quantitatis cibi assumpti: Minus calidorum ventrium sunt, qui tardius digerunt, dummodo non impediuntur in sua digestionem per malitiam cibi, aut per infirmitatem. Et propter ea quæ dicta sunt, non potest dici certa mensuræ quantitatum cibi exhibendi, sed habeatur hæc consideratio circa hoc, quando incipit eis dari cibus, videatur appetitus quem habebit tunc vnusquisq; , & auiditas comedendi, bona enim
natura

natura tantum appetit vel circa, quantum digere potest, vnde cum datur cibus, videatur quando hic appetitus obtunditur, & hæc auiditas comedendi, attendendo simul cum hoc plenitudinem suæ gorgiæ, quo viso, non amplior cibus dandus est illa vice. Et si carnes erunt bonarum qualitatum, amplius poterit dari de eis, si malarum, minus, hoc modo tamen, quod gradatim subtrahatur quotidie de quantitate malarum, & postquam habebuntur carnes meliores, addatur paulatim & gradatim aliquid quantitatis, vt restauretur in tantum in bonis, in quantum subtractum fuit in malis; Et si in præcedenti comestione amplius datum erit, in sequenti detur minus & tardius; aut si in præcedenti comestione, siue serò siue manè, fuerit minus datum, in sequenti detur amplius, & præueniendo horâ. Et si bis pascere debet quis, & carnes habeat malas, manè detur minus, & serò restauretur ei de bonis, quod minus datum fuerat in manè. Et hæc de quantitate cibi dicta sunt.

CAPITVLVM XXXIV.

De vicibus cibandi ipsos, & de horis conuenientibus cibationi.

DE numero autem cibandi ipsos, & de horis conuenientibus cibationi ipsorum dicatur. Isti pulli nouiter geniti & iuniores, cum non habeantur sic paruuli, nisi in fine veris, & per æstatem, quando scil. dies sunt longi, cibandi erunt omni die bis ad minus, nam si semel tantum

tantum daretur eis cibus, non sufficeret propter longitudinem dierum, & fortem calorem quem habent, & si multum daretur & semel, calor diei debilitaret stomachum, & indigestionē paterentur propter multitudinem cibi, bis itaque detur, sed secunda vice nō detur, nisi quod prima vice sumpserint, digestum fuerit, appositio enim crudi super inceptum digeri, & non digestum, naturalium virtutum ordinem perturbaret, & operationes confunderet. Digesti autem cibi signa erunt in huiusmodi aibus, flatus exiens per os non fœtebit grauiter, de cibo nihil tenebunt in gorgia, imò postquam cibus de gorgia descenderit ad stomachum, & de stomacho ad intestina, & diu in eisdem steterit, egerent pluries, & maximè secundū quod conuenit qualitati assumptorum ciborum, & in egestione quam faciunt, illud nigrum durum, quod consuevit esse in ea, erit modicum & granulofum, & illud album molle quod consuevit esse in ea, erit multum liquidum & multum album, & egestio non erit fœtida. Signa verò indigesti cibi sunt contraria prædictis: nam flatus erit grauis, & si aliquid tenuerint in gorgia, nondum digesserunt, & postquam etiam totaliter descendisset cibus de gorgia ad ventrem & intestina, & pluries egeffissent, non bene digesserunt, si nigrum in egestione fuerit multum, & liquidum, molle verò fuerit fœtidum valde, & in quantitate minus quàm in egestione digesta, multiplicatio autem nigri, & diminutio albi in egestione, accidit per calorem
incipi-

DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

incipientem digerere, & non perficientem digestionem, quod cogit videre in igne incipiente decoquere lapides in fornace calcinaria, qui in principio denigrantur, sed postquã peruenerint ad digestionem perfectam, nigrum minoratur, & album multiplicatur.

CAPITVLVM XXXV.

De horis conuenientibus cibationi.

HOræ conuenientes in cibatione talium, sunt horæ matutinæ, ante horam tertiam, dummodo hic sit vacuus primo cibo, ne feruor caloris meridiani comprehendat cibum in gorgia vel in ventre, deterior namque per hoc fiet digestio. Et horæ serotinæ cõuenientes sunt ante occasum solis, vt nocte superueniente quiescentes dormiant, & melius digerant, nam & in similibus horis mater eis dabat escam, quod verò dabitur manè sufficiens sit vsque serò, & quod dabitur serò, detur iterarum, quod sufficiat vsq; mane. Qui verò ministrabit eis escam non permittat accedere illuc multos homines, sed solus accedat ad ministrandum escam, & ad faciendũ cætera quæ facere oportebit, & quanto rarius poterit, accedat illuc, nam per hoc neque fient clamorosi neq; frequenter hiantes. Item ille qui nutrierit eos vt dictum est, in tantum quod percreuerunt, & volare poterunt huc & illuc, nõ statim debet accipere illos ad mansuefaciendum, neq; ad docendum, sed permittat eos volare huc & illuc, ad loca propinqua illi in quo nutriti sunt, duriores enim pennas & me-

& meliores proinde habebunt, quoniam serenum, pluuia, aër & sol faciunt bonas pennas, & ipsi fortiores erunt propter hoc, & melius volabunt ad quæcumque volare debebunt; neq; est timendum de fuga ipsorum, redibunt enim ad locum, in quo ministrabantur eis cibus, imò stabunt ferè quantum stant volitantes circa nidum suum, & plus poterunt dimitti volitare, cùm non sit qui fuget ipsos ab ipso loco, sicut erat mater quæ fugabat à nido & à locis vicinis. Stabunt autem volitantes circa illum locum, neque aufigient, quousque scil. firmi erunt, & sufficientes per se acquirere sibi cibum.

CAPITVLVM XXXVI.

De præparatione locorum à quibus recolligi debent falcones postquam nutriti sunt in eis.

QVando verò capi debebūt de loco in quo nutriti sunt, alijs aperturis illi⁹ loci claudis, vna remaneat aperta, & habeat regiolum quæ clauditur serò, per hanc namque regiolum capi poterunt facilius & sine læsione; & hoc non fiat de regiola, nisi cùm iam temp⁹ aduenerit manus faciendi ipsos super manum, possent etiam imponi laquei qui dicuntur iacti in pedibus ipsorum antequam possint volare, & possent dimitti cum iactis volare hūc & illūc: nam quando capi deberent, posset homo securius accedere ad capiendum ipsos in obscuro, & possent facilius capi. Veruntamen si hoc fieret, esset eis

N pericu-

194 DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

periculum volare deforis hūc & illūc, propter aquilas & alias aues rapaces, quæ caperent ipsos propter laqueos quos crederent esse prædam, aut defugarent ipsos extra regionem, propter hoc non approbamus fieri illud quod dictum est de iactis imponendis.

Circa verò tempus in quo capi debent & extrahi de illo loco, per tres dies antè claudantur aperturæ loci, & vna sola remaneat quæ non claudatur, sed fiet vna regiola cum qua clauditur triplici serò; illo verò serò quando capi debent, hoc modo debet homo accedere ad capiendum ipsos, si tamē firmi sint quod debeant capi, de nocte accedendum est ad locum cum lumine & duobus socijs, vel ad minus cum vno socio. De nocte dieimus, quoniam si de die accederetur ad ipsos capiendos, ipsi videntes hominem velle ipsos capere, cum sint iam facti agrestes ex frequenti volare ad campos tantum, allident se hūc & illūc per locum in quo sunt, quod non effugerent læsionem membrorum aut pennarum, aut vtrorumq;, propter hoc accedendum est de nocte ad capiendum ipsos, lumen portatur, vt cum lumine videatur in qua parte loci sunt, & remota candela capiantur vbi sunt; cum duobus socijs accedi debet, quoniam iuuabunt in ciliando, & in ponendo iactos. Intra bit itaq; homo, & capiet vnumquemque eorum cum ambabus manibus, apprehendentibus ipsum per dorsum, & peruenientibus digitis vsque ad subteriora pectoris, & summo opere caueatur ne in capiendo neque in tenendo

dorsum, cauens à nimia constrictione, nam per nimiam cōstrictionem non bene possunt habere flatum, & sic teneat ipsum cū digitis descendentibus ad pectus, aliquis teneat crura ipsius, & procuret quod avis cum pedibus suis non possit impedire ea quæ debent fieri circa ipsum. Si verò in calore diei capi debet, & fieri debeant ei ea quæ diximus, oportet quod ille qui capere debet, madefaciat pannum vnum lineum, & manib⁹ suis intrinsecus velatis ipso panno amplectatur auem, ita quod pannus tangat auem, & manus super pannum sit, & capiat vt diximus, & alius accipiat crura, & ea comprimat sua uiter versus ouariam donec sic tenetur, & tunc alius qui ciliare uolet, faciet hoc modo: habebit acum rotundum, nam cum triangulari noceret, quoniam non duraret ciliatura propter incisuram palpebrarum, cum cuspe verò acus accipiet inferiorem palpebram, & incipiendo ab interiori parte perforabit eam perducendo acum ad exterius: nam si è conuerso fieret, pupilla lædi posset cuspe acus: in perforando etiam cauendum est, ne illa pellicula pannosa quæ subest inter palpebram & oculum perforetur, sed tantummodo palpebra, nec accipiatur modicum de ipsa, ne rumpatur ciliatura ante tempus, nec accipiatur multum de ipsa, nam multum scinderetur de ea quod esset nociuum tutelæ oculi. Rectè igitur accipiatur sub margine palpebræ, vbi est mediætas longitudinis eius, & magnam partem fili à parte intrinseca palpebræ immittat, deinde acum eum filo super caput

put ducat, & palpebram inferio re alterius oculi ab intrinseco ad extrinsecum perforet, tunc acur remota, ambæ extremitates fili coniungantur super caput falconis, & attrahatur vtraq; palpebra tantum sursum versus cilium, quod totum oculum cooperiat, & falco nihil videat, extremitates itaque fili tunc ligentur strictæ super caput falconis, tantū quod palpebræ retineantur sic cooperientes totum oculum, & duæ extremitates fili prope nodum incidantur, deinde cum alia extremitate acus plumæ capitis superponantur filo: nam filum sit coopertū plumis, minus poterit rumpi vnguibus falconis rasparibus caput. Acuitas verò vnguium falconis cum forcibus amputari debet, & hebetari; & vtrum hoc debet fieri statim quod captus est falco, an postquam ciliatus est, an postquam iactis impositis sibi iam positus est ad standum super manum, non curamus: in amputando verò caueatur ne nimium amputetur de vnguibus, nam propter hoc posset sanguis fluere, quod esset nocuum falconi. Sola igitur acuitas obtundenda est, nam propter hoc minus nocebit manibus portatoris, & si chirothecas habuerit, non infiget vngues suas chirothecis, neq; futuris chirothecarum, sicut noceret si vngues remanerent acuti, nec stare tam conuenienter super manum cum acutis vnguibus. Et quando etiam continget quod aliquis falco experit prædam suam, & hic alius iactabitur cum ipso, si accidat quod cum volet capere prædā forij capiet ipsum suum socium, cum vnguibus habetatis non no-

cebit ei tantum, quantum noceret cum acutis,
& ad multa alia valet, quæ dicuntur infra.

CAPITVLVM XXXVIII.

De iactis qualiter fiant & quomodo apponendi sunt in tibijs falconum.

Sequitur dicere de iactis, longa, tornetto, & campanella, quæ omnia habenda sũnt circa falconem tenendum; & dicatur primò de iactis, quid sunt iacti, quomodo meliori forma fiant, quis eorum dexter, & quis sinister, vt quisque vnum pedem conuenienter teneat, quomodo ligantur ab tibijs falconum, quæ sunt vtilitates iactorum. Iacti sunt laquei de corio facti imponendi pedibus falconum, vt cum eis retineantur & iactentur ad prædandum, qui ob hoc iacti dicuntur, quod cum eis iaciuntur falcones & emittuntur ad prædandum. Formantur autem huiusmodi iacti à diuersis diuersimodè, sed ille modus quem dicemus iam, melior est, pro eo quod secundum nostrum modum iacti formati fortiores erunt & durabiliores, & falconum pedibus aptiores. Hoc modo pro falconibus facimus iactos: accipitur corium molle & forte, & scinduntur duæ corrigiæ de ipso æquales, vnaquæq; longa secundum vnum palmum, & lata secundum latitudinem quam inferius distinguemus. De his duabus corrigijs formantur iacti in hunc modum: Extremitas corrigiæ quæ debet amplecti tibiam falconis, latior esse debet quàm reliqua extremitas pendens inferius, & vltimum

vltimum illius extremitatis, quæ debet circum-
 ire pedem, scindatur ex vtroq; latere modicū,
 vt illū fiat aliquantulum strictior, quàm in lati-
 tudine quæ erit circa tibiam, quod autem la-
 tum erit de ista corrigia circa tibiam, pro giro-
 falcis & sacris, sit latius latitudine digiti mino-
 ris, pro peregrinis, gentilibus, & lanerijs parū
 minus: ita quod latitudo iactorum in parte illa
 proportionaliter respondeat maioritati & mi-
 noritati falconum; pars autem iactorum, quæ à
 tibia descendet inferius, in tantū efficiatur stri-
 cta, quod sua strictura redeat ferè ad medium la-
 titudinis illius, quod erit circa tibiam; corrigijs
 igitur sic aptatis, extremitas corrigiæ latior pro-
 pe suam vltimitatem perforetur per medium
 sui foramine oblongo, quod foramen tantum
 sit, vt alia extremitas corrigiæ transire possit per
 ipsum; vsque ad id quod de ipsa circumdat pe-
 dem: Hoc autem foramine factō, illū fiat in ea-
 dem corrigia, vnum aliud foramen ad similitu-
 dinem prioris, & tanta debet esse distantia inter
 vnum foramen & aliud, quantum sufficiat am-
 plecti tibiam falconis, vnde ad probandum po-
 natur illa pars corrigiæ circa tibiam falconis, vt
 melius sumatur distantia inter vtrumque fora-
 minum, reducatur itaque extremitas corrigiæ
 perforata ad aliud foramen desuper, & intro-
 mittatur per secundum foramen, & tantum
 transeat de illa extremitate per secundum fora-
 men, quod totum suum foramen exeat extra
 secundum, & tunc reliqua pars corrigiæ quæ nō
 est perforata, replicetur ad superius, & introdu-
 catur

catur per primum foramen, quod primum intrauerat per secundum, vt sic veniant ista duo foramina inter sese, quod de ipsis fiat quædam rricatura nodosa, ex hac autem forma replicationis extremitatis perforata super corrigiã ad secundum foramẽ, fit ambitus iacti, in quo continetur tibia, in superiore parte sui strictior, & inferiori largior, quę amplitudo inferior ad hoc valet, quod quando falco distrahit pedem suum ad superius, non læditur pes per stricturam conjunctionis corrigiæ, nec eius circuitiois quod amplum erit, sit tam amplum quod pes exire possit, quod verò strictum, non sit tam strictum quod stringat tibiam falconis, vnde illi qui faciunt æquẽ strictum superius vt inferius, in hoc nocent, quod pedes falconũ ex strictura inflantur persæpe, & podagrici efficiuntur. Amplius habeantur duo annuli, seu maclæ loricarum, & hi annuli siue sint ferrei, siue znei, non curamus. Illa igitur extremitas iacti, quæ non est perforata, & debet pendere inferius, ad posteriora pedum intromittatur per anulum, & quod intrabit per anulum de hac corrigia replicabitur, & fuerit cum reliquo corrigiæ, quod non transijt, vel nodabitur. Sutura autem hæc, seu nodus fiat tam prope anulum, quod anulus non possit discurrere hũc & illuc, debet autem esse tanta distantia inter suturam quæ continet anulum, & nodum prius factum prope tibiam falconis, quanta est longitudo digiti medij manus, quæ longitudo mensurari debebit hoc modo: ponetur sutura distringens anulum super illam

iunctu-

iuncturam digiti qua iungitur cū palma à parte
exteriore manus , & debet extendi digitus in
longum super hanc corrigiam , vt extremitas
ipsius digiti peringat vsq; ad nodum iacti pro-
pe pedem ; similiter fiat de alio annulo in alio
iacto. Hæc est forma iactorum pro falconibus.
Horum autem iactorum alter dexter alter sin-
ster est , & oportet vt cognoscatur quis dexter,
& quis sinister est , vt dexter dextrum pedem
conuenienter teneat , & sinister sinistrum , quem-
admodum enim falco agilior & expeditior est
per iactos , si distribuatur quisque suo pedi , sic è-
contra erit , si distribuatur dexter sinistro , & sin-
ster dextro pedi. Discernitur autè dexter iactus
à sinistro hoc modo : Illarum partium iacti quæ
circundant tibiam , quæ breuior est , vadat ab in-
teriori pedis ad exterius , quæ verò longior & te-
neri debet inter digitos , veniat ad partem in-
trinsecam. Ligabuntur autem iacti ad tibiã fal-
conum hoc modo : Dissolutis nodis iacti qui
debent esse prope tibiam , illa pars iacti , quæ est
inter vtrumque foramen circuducatur tibiæ ,
& perfecto gyro , pars superior iacti perforata su-
perducatur corrigiæ ad aliud foramen , & intro-
mittatur per secundum foramen , quousq; pri-
mum foramen , quod erat in illa parte , introeat
& transeat per secundum , quo factò reducatur
pars inferior corrigiæ non perforata , super par-
tem quæ transijt per secundum foramen , & in-
troducatur per ipsum primum foramen , quan-
tum intrare potest , vt fiat ex eis sic intrantibus
in se tricatura supradicta nodosa , & tunc suatur

corrigia iacti inferius, vel nodetur super annulum ea distantia quam diximus, vt sic appofiti iacti, secundum partem superiorem sui amplectantur tibias, & cum parte sua inferiori continente annulum, pendeat inferius ad posteriora pedum falconis, & hoc quod pendet de iactis, est id quod recipitur ab extrinseco man^o, ad intrinsecum inter duos digitos inferiores manus, & alios duos superiores eis. Vtiles autem iacti sunt ad hoc quod per eos retinetur falco, ne recedat præter voluntatem tenentis, & quod longa alligatur eis.

CAPITVLVM XXXIX.

De longa qualiter fiat, & ad quæ est utilis.

Sequitur de longa: vnde videndum est quid sit, quomodo formatur, quomodo ligatur ad iactos, & recolligitur circa digitum breviorum, quæ sunt utilitates eius. Est autem longa, quædam corrigia qua ligantur & retinentur falcones ad sedem suam quamcunque, & hæc sua longitudine comparata ad iactos, meretur dici longa: fit autem hoc modo: scinditur ex corio molli & forti, vna corrigia longa, æqualiter stricta per totum, præterquam in extremitate inferiori, in qua debet esse parùm strictior, & tantùm stricta quod possit transire sufficienter & largè per ambos annulos iactorum: in extremitate verò superiori longæ fiat nodus vnus, qui non permittat longam totaliter annulos pertransire ex parte nodi; postquâ facta est longa vt

ga vt diximus, intromitti debet extremitas strictior per vtrumque annulum iactorum, & tantum introducatur de illa longa, quod quasi duę partes eius pertranseant, in tertia parte residua versus nodum scindatur corrigia longę, & fiat ibi foramen vnum oblongum, per quod intromittantur duę partes longę strictiores vsq; ad annulos, ita quod ex huiusmodi immisione & recomplicatione, annuli iactorum firmiter retineantur in longa, vel sic, & tunc ex vtraque extremitate longę fiat vnus nodus, retinens & distringens annulos iactorum, ligata longa vt diximus, dum portatur super manum falco, recolligantur ambę partes longę, reuoluendo eas in plures aliquot reuolutiones largas & longas, circa digitum breuiorem, vt comodius portetur, & quando non portatur, ligabitur cum hac longa super sedem suam, vt docebimus infra. Sunt autem quidam homines qui hanc longam ligant cum iactis non habentibus annulos, sed cum nodis factis de eisdem iactis in sua extremitate: Nos autem approbamus omnem illum modum alligandi longam iactis, quo citius & expeditius ligatur & soluitur longa, quę modum dicimus esse de annulis iactorum. Utilitas autem longę est, quod cum hac ligatur & retinetur falco ad sedem suam, & huic longę alligatur filaria quando primo loyratur, & per longam retinetur falco quando balneatur.

CAPITVLVM XL.

De tornetto, qualiter factum sit, & ad quid sit vtile.

Sequitur de tornetto. Est autem tornettum quiddam duobus annulis compositum, gyrantibus in se inuicem, & hoc modo est factum: Sunt duo annuli ferrei, aut ænei, aut argentei, aut de alio metallo facti, magni ad quantitatem annulorum qui sunt in iactis: veruntamen circūferentia vtriusq; debet esse lata aliquantulum in aliqua sui parte, & in illa parte debet esse foramen, ita quod vnum foramen erit in circūferentia vnius annuli, & aliud in alia, & etiam vnus clauellus intrans per foramen vtriusque, ex vtraque sui extremitate sic firmatus quod non possit exire neq; ex vna parte neque ex altera, ex hac autem coniunctura sequitur, quod vnus annulus inuoluitur liberè super circūferentiam alterius, quoties igitur timebitur, ne falco intorqueat se iactis, alligabitur hoc tornettum annulis iactorum, cum quadam corrigiola subtili & forti, quam prius poterit alligari cum annulo suo superiori, annulo verò eius inferiori alligabitur longa, sicut alligabatur annulis duobus iactorum. Est autem vtilitas tornetti in hoc, quod falco non possit vexari per intortionem iactorum in pedibus suis.

CAPITVLVM XLI.

De campanella & vtilitate ipsius, & modo ligandi eam.

S Equitur de campanella, quæ etiam nola dicitur. Hæc autem est de ære, & debet esse sonora, & magna vel parua secundum magnitudinem falconis, aut alterius auis rapacis, quæ debet eam portare, & debet habere foramina sua adeo stricta, quod falco non possit intromittere acuitatem rostri sui in ipsa foramina, & sic impediri per campanellam, & debet esse quoddam foramen paruum in ansa campanellæ, per quod foramen intromittetur corrigiola, cum qua corrigiola alligabitur campanella ad quæuis pedum falconis, in altiori parte tibie quam sit iactus, & ligabitur ita quod non distingat tibiam, neque quod multum pendeat, sed prope tibiam. Vtilitas verò campanellæ multiplex est, per sonum namque campanellæ percipitur citò si falco stans in sede sua se diuerberat, qui percepto succurritur ei citius, etiam si perdatur falco, per sonum campanellæ facilius à remotis audietur vbi erit, & facilius poterit recuperari, & illi qui docti sunt & experti in sonitu campanellæ, cognoscunt si se diuerberat falco, aut scalpit, aut mordicat iactos aut campanellam, aut aliquid aliud facit. Modum autem ligandi campanellam, quem faciunt quidam ad pennas caudæ, perforandò vnâ vel duas depennis caudæ, & corrigiolam campanellæ intromittendo, nullatenus approbamus, quoniam falco per huiusmodi

iufmodi alligaturam campanellæ, tenet caudam malè pendentem, & pennæ caudæ minus fanæ habentur.

CAPITVLVM XLII.

De modo quo portari debet super manū
& forma retinendī manum.

HIs factis circa falconem, dicendū est quomodo poni debet nidafius ad standum super manum & ad portandum; ad quæ præsciendum est, qualiter portitor debet tenere brachiū & manum, teneat igitur partem brachij quæ est ab humero vsque ad cubitum, quæ dicitur armus, descendente rectè iuxta latus, non tamen coniunctam lateri, nam si cōiungeretur ei, mouendo corpus suum moueret & brachium, quomodo inquietaret auem, reliquam verò partem brachij, quæ est à cubito versus manum, replicet ad anteriorem partem corporis, vt ex replicatione huius partis brachij & superioris, fiat angulus rectus, manum verò quæ est à brachio vsque ad extremitatem digitorum, non plicet intèrius neq; exterius, sed in rectitudine brachij teneat, coniungendo pollicem extensum indici, & replicet indicem ad extremitatem pollicis, & erit modus secundum quem abacista tenent septuaginta cum manu, & alij digiti eiusdem manus, replicentur in palmam sub illis duobus digitis, vt firmiter sustententur, ad similitudinem tenentis numerum ternarium, & sic ex replicatione indicis super pollicem, & trium digitorū in palma sub illis, teneat manum ad formam Abacistæ

Bacista tenentis septuaginta tria, & hæc forma conuenientior est sustentandi auem super manum; manus etiam hæc opponatur summitati humeri, vt non approximetur faciei hominis; nam auis timet ad faciem hominis, quam naturaliter refugit & abhorret, quando sic portaretur deciliata aut sine capello. Item sicut diximus de forma tenendi vnam manum cum suo brachio, sic dicendum est de alio brachio & alia manu, expedit enim quod portitor sciat portare falconem super vtramq; manum, vt si ventus venerit à sinistris, portet super dextram, & si à dextris, portet super sinistram, quoniam sic semper opponetur pectus falconis vento: nam si veniret à cauda & tergo, ventus horripilaret pennas caudæ & totius corporis, maiores scilicet, & minores, quod non sustineret falco, sed se reuolueret. Item sunt homines quarundam regionum, qui consueuerunt portare falcones in manu dextra, & tantum suum modum approbant & aliorum modum vituperant. Nos verò non facimus vim in huiusmodi diuersitate, sed vtrumq; modum laudamus, dummodo ventus non irruat in falconem à tergo, ideo laudamus sicut supra diximus, quod sciat portare cum vtraq; manu, nam scire portare cum vtraq; manu, iuuat propter custodire auem à vento, venienti à tergo falconis, & propter vicissitudinem alleuiantem manum falconarij, propter etiam aliam manum permutandam, si aliquando patitur, propterea cauendum est à quibusdam malis diuerberationibus falconis, vt infra dicetur.

Debet

DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

Debet autē falco posthac erigi super pedes suos & collocari super manum inuestitam chirotheca, ita quod duo pedes falconis locum teneant super manum, à iunctura vltima brachij per manum, vsq; ad extremitatem digitorum, replicatorum in forma quam diximus. Et hoc modo erigatur, si teneatur auis super manum dextram, quod caput rostrum & pectus & anteriora pedum teneat versus sinistram. Erecto igitur falcone & posito super manum inuestitam chirotheca, vt dictum est, intromittantur laquei jactorum inter pollicem & indicem inter manum, & fiat vt exeant ad exteriorem partem manus inter duos digitos inferiores, & duos alios qui sunt supra eos, quamuis sint aliqui qui faciunt exire iactos inter quoscumque digitorum indifferenter, melius tamen tenentur & firmiter & strictius inter duos & duos digitos, vt diximus, quam inter tres & vnum. Et si contingat quod falco de manu se deiciat & deponat, & non reuertatur per se ad standū super manum, iterū supponatur ea forma quam diximus. Longa verò recolligatur circa digitum minorem per circuitiones paruas, hoc facto, & teneri poterit diu falco super manum, & portari conuenienter, & absq; impedimento auis, & reflexiones ipsius longa, factz sic circa digitum minorem, pendeant aliquantulum interius.

CAPL

CAPITVLVM XLIII.

De modis quibus habentur falcones
ramagij.

Disto de falconibus nidasijs, quomodo habentur, & quomodo nutriuntur, & parantur ad portandum super manum, & quomodo portantur; dicendum est de illis falconibus qui sunt syluestres & dicuntur ramagij, quomodo habeantur, & quomodo aptentur ad portandum, & quomodo portantur super manum. Hi verò extra nidum capiuntur cum retibus, laqueis aut alijs instrumentis & artificijs, quæ captio non sine magna arte & non sine magno studio fit, quam artem & quod studium, tanquam impertinentia nostro libro, dimittimus expertis: propositum enim nostrum est principaliter de captis falconibus, quomodo mansuescant & doceantur prædari, & esse cum homine. Istud tamen dicimus, quod inter omnia instrumenta cum quibus capiuntur extra nidum, illa sunt laudabiliora, cum quibus capitur maior numerus falconum, & specialiter saluius & sine læsione capiuntur, nam de sic captis meritò poterit haberi maior fiducia, quàm autem in capiendo læduntur, videlicet dum retenti conantur euadere, aut dum malè extrahuntur de retibus, vix aut nunquam euadent quin ex illa læsione aut moriantur, aut per multa tempora inutiles, & forsitan semper. Propter hoc consulimus, vt exercitati in arte capiendi falcones, cautè & sine læsione quanto plus poterunt capiant ipsos, & post captionem teneant

ant & tractent eos quanto plus possunt saluiss.
 Capiuntur autem his quinq; temporibus, pri-
 mum tempus est scil. quando volitant circa ni-
 dum; aliud est postquã dimiserunt penitus lo-
 ca vicina nido parentibus expellentib⁹ ipsos, &
 tamen volant per cõtratam in qua nati sunt: a-
 liud est quãdo transeunt & instat passagiũ ipso-
 rum; aliud est, quando hyemant in regione in
 qua capiuntur: aliud est, quando redeunt; quĩ
 enim circa nidum volitant & prope nidum ca-
 piuntur, incipit captio eorum à medietate Iu-
 nij vsq; ad Iulium, sed illi qui dimiserunt loca
 nido vicina, & volant per contratam, in con-
 trata quæ est circa nidum, & non prope nidum
 capiuntur, & ipsorum captio quasi per totum
 Iulium vsque ad principium Augusti durat; hi
 etiam capiuntur postquam sunt in transitu suo:
 veniente verò Augusto & prima mutatione
 temporis ad frigus, sunt in suo transitu, & qui
 capientur ab hoc tempore vsq; ad medietatem
 Nouembris, dicuntur capti de passagio, & à me-
 dietate Iunij vsque per totum Septembrem, ca-
 piuntur plures de gentilibus in sexto, quinto &
 quarto climate, quàm de peregrinis, ita quod
 quantò loca erunt ppinquiora tertio & secun-
 do climati, tantò plures de gentilibus capien-
 tur, tunc est namq; transitus eorum versus me-
 ridionalia climata, à Septembre verò in antea,
 scil. Octobri, in eisdem climatibus capiuntur
 plures de peregrinis quàm de gentilibus, quo-
 niam gentiles iam transierũt, sed peregrini qui
 nati erant in tardiori tempore, & in remotio-
 ribus

ribus Septentrionis locis tunc transeunt, & secundum quod climata sunt calidiora, & passagium eorum & captio durat plus, & in superioribus locis durat minus, quoniam frigus instat, & ipsi properant fugere loca frigida, & cum in transeundo mutant loca falcones, non possumus dicere specialiter vnum locum in quo capiuntur, solum, nam in multis tunc capiuntur, & similiter quando redeunt. Tempore verò hyemali si aliqui capiuntur, erunt de illis quibus aliunde venientes remanserunt in illa regione in qua capiuntur, & non transierunt cum alijs, sed remansio eorum fuit illic, aut quia aër illius regionis est conueniens eis in hyeme, respectu loci in quo nati sunt, aut quia prædantur sufficienter sibi illic tempore hyemis, aut quia læsionem aliquam patiuntur propter quam cum alijs transire non potuerunt, & isti capiuntur circa loca in quibus abundant aues quas prædantur. Tempore verò veris capiuntur illi qui redeunt ad loca natiuitatis suæ, & dicuntur capti de reditu. In omnibus verò temporibus anni accidit quòd capiuntur sauri & mutati, & in tempore reditus pauciores, nec possumus distinguere captionem maiorem gentilium vel peregrinorum, sicut faciebamus in autumnò, magis enim inordinatè redeunt, quàm transierint, & plures de ipsis transeundo & post transitum capti fuerunt, & plures mortui. Generaliter autem de captione falconum speciei cuiuscunque dicendum, quod illi qui citius nascuntur, citius capi possunt & debent, qui verò tardius,

dius, tardius capiantur. Girofalci itaq; sacri & gentiles quia nascuntur citius, capiuntur citius. Girofalci enim licet in frigidioribus generentur locis, non tamé nascuntur tardè, sed habent naturam generandi citò quantum gentiles, qui nascuntur in calidis regionibus. Si verò aliqui de girofalci capiuntur tardè, non accidit quod nascantur tardè, sed quod non tam citò recedunt à loco natiuitatis suæ, pro eo qd melius sustinent frigus quàm exteri, & nascuntur in remotiori & frigidiori loco, quàm alij girofalci qui citò capiuntur. Lanerij verò capiuntur in eodem tempore in quo capiuntur gentiles, & capiuntur aliqui de ipsis priusquam de gentilibus. Peregrini verò pro eo quod in remotis nascuntur & tardè, capiuntur tardius cæteris, & sic illi qui citius nascuntur, citius transeunt, & citius capiuntur: qui verò tardius, tardius.

CAPITVLVM XLIV.

De locis in quibus capiuntur.

Loca verò specialia in quibus capiuntur sunt diuersa, secundum quod species falconum sunt diuersæ, & vtentes diuersis cibis. Peregrini namq; pro eo quod nascuntur in regionibus longinquis, frigidis & aquosis, in quibus paucæ sunt terrestres & plures aquaticæ quas venantur, & de quibus sunt consuetæ viuere, capiuntur sæpius iuxta aquas & riuerias. Sacri verò & lanerij, quoniam vsi sunt venari per campaniam largam & spatiosam aues campestris, mures, lacertos, & grillos & huiusmodi animalia, sæpius capiuntur.

capiuntur in campania larga & spacioſa, & non iuxta riuerias. Girofalci, quoniam vſi ſunt venari quandoq; aues campeſtres, quandoq; aues de riueria, capiuntur & in campania ſpatioſa, & prope riuerias, ſed ſæpius in campania, quoniam viuunt ſæpius de generibus anſerum quæ paſcuntur in campis herboliſis. Gentiles verò quoniam viuunt ſæpius auibus campeſtribus, ſæpius capiuntur in campania. Statim quod falco captus eſt ſylueſter ſiue agreſtis, ſi hic qui ceperit ipſum ſolus eſt, ponet ipſum primitus in malleolo, ſtabit enim quietius in eo, & hoc iuuabit maximè quando ſperabit eadem die capere alios, priuſquam ad domum ſuam redeat; etiam in malleolo poſitum poterit ſolus ciliare, vngues aptare, iactos & campanellam imponere: Et ſi ſunt duo, poteſt primò ciliare, & poſtea in malleolo ponere, vel è conuerſo, ſi libet. Eſt autem malleolum ſacculus quidam lineus, capax lōgitudinis & groſſicie corporis falconis, perforatus ex vtraque extremitate, foramen autem per quod debet exire caput, ſit tam largum, q̄ ſufficiat exire caput per ipſum, ſed foramen inferius, per quod intrabit corpus falconis, ſit largius, & ſit longum malleolum, vt ab armis totum corpus comprehendat vſque ad genua, & habeat laqueos ſtringētes ipſum in circuitu foraminis inferioris. Apprehenſis igitur pennis alarum & caudæ cum corpore falconis, immittatur falco in ſacculum capite exeunte per foramen ſuperius, & vterq; pes & extremitates alarum & cauda, remaneant deforis à parte inferiori

feriori. Intromisso falcone in malleolum, constringatur malleolum per laqueos circa foramē inferius, & colligantur laquei simul. Iuuat autem malleolum in eo quod falco sic potest seruari, & portari saluū & sine læsione, vsque ad domum eius qui cœperit ipsum, & iuuat ad supradicta, nec diu debet detineri in malleolo, nam si diu detinetur, vix possit egerere, & egestio retenta desiccaretur in ventre & adureretur, quod esset valde nocium.

CAPITVLVM XLV.

De ciliatione ipsorum.

Falcone posito in malleolo cum captus sit agrestis, protinus ciliandus est, nam si non ciliaretur, statim fieret agrestior ad visum faciei humanae, & ex erorum quæ videre non consuevit, & vteretur magno conamine ad euadendum, ex quo conamine distraheret & disrumperet pennas suas & sua membra, & ob hoc haberet hominem odio, credens hæc mala sibi accidisse per hominem: inde est quod multi cum capiunt falcones, dum sunt detenti retibus, aut laqueis, aut alijs suis instrumentis, accedunt ad ipsos nō opponendo faciem eis, & cauent quantum possunt, ne faciem suam videat falco, & ciliabitur vel ab vno solo vel à duobus, eo modo qui dictus est supra de nidasijs. Et hic tantò magis indiget ciliari quàm nidasio, quantum magis agrestior est nidasio, & minus vsus hominibus. Postquam portatus est in malleolo ad domum, & postquā ciliatus est, potest conuenienter

uenienter remoueri de malleolo, & debet remanere ciliatus. Est autem iuuatiua ciliatura ad multa, per ipsam enim falco non se inquietat neq; se diuerberat tam sæpe, cum non videat causas propter quas hoc debeat facere, nec homo efficitur falconi tam odiosus, cum non videat ipsum quousque iam affectet comedere & manere cum homine, & per ciliaturam in membris & pennis saluius custoditur, & mansuefit facilius, & assuefit facilius ad capellum, & non solum utilis est ciliatura pro agrèstibus falconibus, sed vniuersaliter pro omnibus auibus quæ se non sinunt portari aut tractari circa principium. Ciliati verò & melius portantur, & melius sinunt se portari.

CAPITVLVM XLVI.

De modis tenendi eos & portandi
super manum.

Vngues etiam amputandi sunt, & iacti imponendi pedibus ramagiorum, priusquàm ponantur super manum, eo modo qui dictus est de nidasijs; & falconarius debet tenere manum & brachium vt dictum est in capitulo de nidasijs, & postea debet erigi huiusmodi falco super pedes suos, & cum alia manu accipiendus est per pectus, & super manum collocari debet, & si deponit se de manu, reflectatur manus, vt reuertatur super eam, qui quoties per se non redierit, iuuandus est cum alia manu posita ante pectus eius ad redeundum super manum. Debet autem homo portans falconem sic regere manum suam & firmam tenere, vt fal-

DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

conem portet suauiter, nam si durè portabit, aut manum mobilem habuerit, falco inquietabit & diuerberabit se ex malo portamento, & debilitabitur coxis & renibus, & non solum requiritur quod falconarius sciat portare vt conuenit, sed etiam quod exercitium habeat & vsum portandi, & omnia faciendi, quæ facere conuenit circa falconem, per scientiam quam præhabuit ex hoc libro nostro, vt in theorica sit peritus, & in practica exercitatus. Signa autem per quæ cognoscitur, quod brachium & manus bene regant, & falco bene portatur sunt hæc: falco tenet alas reollectas in se & altas ad dorsum suum, & caudâ descendit inferius in directo dorso, nec ipsa cauda facit gibbum aliquem in loco in quo cõtinuata est dorso, & tenet omnes pennas caudæ reollectas & coadunatas inuicem, & tenet pedes æqualiter distantes, & non firmat se plus super vnum pedem quàm super alium, & non stringit cum vnguib; suis manum portantis, sed leuiter sustentat se in pedibus, & si manus falconarij cõmoueat hinc inde, aut gyretur vt collocet falconem, falco facillè commutat pedes suos; si verò brachium & manus non bene reguntur, nec auis bene portatur nec bene tractatur super manū, erunt in eo signa contraria suprà dictis.

CAPITVLVM XLVII.

De falconarijs quales esse debeant.

Habito quomodo & vnde habentur falcones, tam nidasi; quàm capti syluestres seu rama-

ramagij, & quomodo aptantur in suis membris, ad standum super manū, & quomodo ponuntur & portantur super eam, priusquam dicatur quomodo mansuefaciendi sunt antequā de manu dimittantur ad volandum, oportet nos dicere, qualiter debet esse falconarius, & quam intentionem debet habere ad mansuefaciendum & habendum falcones. Quicumque itaque vult discere & exercere artem venationis contrauib^o, ad hoc vt possit esse sufficiens, in nutriendo & custodiendo, mansuefaciendo portando, docendo ipsas, vt venentur alias aues, in vtendo eis in venationibus & in curando eas si opus fuerit, oportet vt in se habeat ea quæ dicentur iam, & præterea scientiam huius libri, quæ omnia cū sufficienter habuerit, à digniori nomen accipiens, falconarius poterit merito nuncupari. Qui sit mediocris staturæ, ne ppter magnitudinem superfluam plus lassus & minus agilis habeatur, neque propter paruitatem nimiam sit nimis agilis tam equester quàm pedester, sit mediocris habitudinis, ne propter extenuatam maciem deficiat sustinere laborem aut frigus, neque propter corpulentiam & pinguedinem nimiam fastidiat laborem & calorem, & pigrior, & tardior habeatur quàm cōuenit huic arti, non fastidiat artem neq; laborem, sed diligat & perseueret in ipsa, in tantum, quod etiā quando deuenerit ad senectutem, non minus intendat arti, quod rotum procedit ex amore quem habebit in arte, cum enim ars longa sit, & plura in vsu secundum eam nouiter incidant,

nunquã debet homo desistere ab exercitio huius artis, sed perseverare quàm diu vixerit, vt ipsam artem perfectius consequatur. Debet esse perfecti ingenij, vt quàmuis didicerit plura & à doctis huius artis, circa ea quæ sunt necessaria auibus, tamen ex suo naturali ingenio sciat inuenire & excogitare quæ necessaria fuerint incidenter, non enim esset possibile scribere singula & nouiter emergentia in operationibus bonis & malis auium rapacium: nam cum diuersorum sint morum longè, durum esset scribere omnia, pro qua re singulis ex suo ingenio, & ex arte huius libri, quidquid erit expediens ministrare tenetur. Sit bonæ memoriæ, vt bonũ vel malum quod aliquando circa operationes auium & circa exercitium huius artis contigerit, causa sui vel causã auis, vel alterius rei, memoriæ cõmendet, quatenus alia vice quod bonum fuerit seãterur, quod vero malum & in cõueniens caueat. Sit acuti visus, vt visu comprehendere valeat etiã à remotis, in qua parte sint aues ad quas intendit venari, & auem suam quando elongatur à se visu sequatur, & cetera subtiliter videat quæ necessarium est videre. Sit leuis auditu, discernet enim facilius in qua parte sint aues quas quærit, ex vocibus auium quas audiet circumquaque, & focios suos audiet facilius, & campanellam auis suæ quando erit absens, imo per voces auium quandoque scire poterit, versus quam partem erit auis sua, quæ est absens. Sit homo magnæ vocis & fortis vocis, nam auis sua quæ aliquando stabit remota ab ipso

ipso, ad reuocationem suam quam audiet, & socij sui facilius cōprehendent. Sit agilis & promptus in suis moribus, vt citò succurrat aui suæ quoties expedierit. Sit audax, in tantum quod nō timeat pertransire loca aspera, quando conueniet. Sciat natare, vt si auis sua transuolauerit aquam inuadabilem, ipsam aquam natando transeat & auem sequatur, & ipsi vbi oportuerit succurrere, succurrat. Non sit moris nimium iuuenilis, ne pueritia inducat ipsum aliquid facere contra artem, nam pueri consueuerunt esse gulosi, & delectantur videre plurimum amēnos volatus, & plures: nec tamen pueros ex toto repellimus, cū possint esse prudentiores, non enim pueri sufficiunt mansuefacere aut aliter docere aues, aut cum eis venari, cū non constet eos esse prudentes in his, sed discant à doctis, quousq; perueniant ad perfectionem huius scientiæ & ætatis. Item non debet esse somnolentus, requiruntur etenim multa, in intrando tardè lectum, in requirendo de nocte pluries auem suam, & in surgendo ante diem, & leuitas somni in audiendo campanellam auis, & motum alarum suarum, & inquietationem suam. Non sit gulosus nec nimis deditus gulæ, si extra domū siue in campania fuerit, aut etiam quādo perdidit auem suam, cogatur per gulositatem suam domū redire citius, aut etiam si in domo fuerit, non obliuiscatur aui suæ habendo intentionem ad gulositatem suam. Non sit ebriosus, quoniam ebrietas quædam insania est, per quam auem suam facilimè deuastrabit, quamuis
etiam

etiam se credat eam bene tractare, & ab ebriō & fatuo custodienda non est auis. Non sit iracundus, neque facilis ad iram, accidit enim per saepe quod auis facit ea, per quā ille qui custodit eam ad iracundiam prouocatur, & nisi illam iracundiam dimittat, malo motu moueri potest, ex quo malo illato aui per iram, auis ipsa, cum sit res debilis, certissime deuastabitur. Non sit piger aut negligens, quoniam ars ista multorum laborum est & magni studij. Non sit gyrouagus, ne per suos motus erraticos auem non requirat frequenter vt conuenit: auis namque in modico tempore læsionem recipiet, si neglecta fuerit, aut nō fuerit saepe saepius requisita. Habeat chirothecam in manu super quam portare debet falconem longam vsq; ad cubitum, & amplam vt citò possit indui & exui, quæ debet esse de corio grosso: nam falco cum unguibus suis minus adhærebit chirothecæ, & cum rostro & unguibus, eamq; minus poterit penetrare, & quando continget quod falco iactetur de manu ad volandum, firmiter recedet de talibus chirothecis. Habeat præterea vnam bursam ad cingulum suum, in qua reponet carnes & tiratoria, quæ ideo dicitur carneria.

CAPITVLVM XLVIII.

De intentione quam habere debet falconarius ad tenendum & mansuefaciendum.

Illorum autem qui operam exhibent venationi exercendæ cum auib; rapacibus, multiplex

triplex est diuisio. Alij namq; intendunt in hoc, ut aues & quædam de quadrupedibus quæ capiunt cum suis auib⁹ rapacibus, edant gulosè, aut sibi quomodo cunq; aliter lucrifaciant. Alij intendunt in hoc non causa gulæ, nec causa lucri alterius, sed ut habeant inde delectationem solatiofam, in videndo scil. amœnos volatus auium. Alij intendunt in hoc ut glorientur & iactent se multas cepisse aues. Alij intendunt in hoc neq; causa gulæ, neque causa lucri alterius, neque etiam causa delectamenti visus sui, sed tantum ut habeant suas aues rapaces bonas & meliores quam cæteri, ex quo acquirunt sibi famam & honorè præ cæteris, & in hoc habent magnum delectamentum, sci. quod habent bonas aues. Intentio prima redarguenda est, pro eo, quod cum multum vexent & fatigent aues suas ut ex multitudine prædæ gaudeant, bonas aues rapaces diu habere nō possunt. Secundorū similiter intentio non est approbanda, volentes enim videre frequentius amœnos volatus suarum auium, & quasi circa hoc suam intentionem explere nequeunt, cogunt eas subire multos labores & intolerabiles, per quos deficient, & hic modus puerorum est, & non conueniens arti. Tertiorū intentio reprobatur, pro eo quod non faciunt ut conuenit, & vexant eas ultra modum. Quartorum verò intentio approbanda est, ipsi enim habentes suas aues meliores, non abutuntur eis, sed diutius & perseverabilius in sua bonitate manebūt, & ipsi modum sequuntur conuenibilem magis arti, faciendō

endo volare aues suas, eo modo quod nō multum vexantur, & custodiendo ipsas aues diligentia meliori. Intentio itaq; quam debet habere falconarius, debet esse vt habeat aues rapaces arte doctas ad capiendum alias aues, & quzdam quadrupedum, in quo ars procedet vsq; ad finem intentionis. Sed quoniā aues rapaces sunt penitus secedentis naturæ ab homine, & etiam secundum proprietates & mores naturales suos, alienantur ab ipso meritò, timent enim retineri per hominem, cauentes in hoc ipso pennis suis & suæ personæ, semper & naturaliter absistunt ab homine: propter hoc ad habendum propositum nostrum de eis, necessaria est ars, & instrumēta, & artifex, per quæ priuentur, quamuis non ex toto, aues rapaces ab hac sua natura, & per quæ suas proprietates desinant naturales, & acquirant in se proprietates & mores artificiales, standi cum homine, & reuertendi ad ipsum, qui mores acquisiti per assuefactionem, processu temporis & assiduitate, vertantur eis in habitum & consuetudinem & naturam alteram. Ex parte verò auis rapacis quæ doceri debet has proprietates, contrarias suis naturalibus, aliquid esse oportet quod sit quasi medium, per quod mutetur de sua natura in contrarium. Illud autē est sensus gustus, cū cæteri sensus sint repugnantes in hoc, videntes enim faciem hominis sibi cæterisq; animalibus terribilem, & cætera quæ cōuersantur cum homine insueta videri sibi, & tangere ea quæ tangere non consueuerunt, & tacti palpati tracta-
tique

tiq; ab insuetis & horribilib⁹ sibi, & audientes voces hominū, & alios tumultus insuetos sibi, inducuntur ex ipsis eisdē sensibus, visu, auditu, & tactu, esse semotim longè ab hominib⁹: nam quod detineantur ab homine, q; habeant iacticios laqueos in pedib⁹, quod stent ligati in sede sua, quod pascantur super manu hominis, quod cum homine stent, q; volentes recedere vt earū moris est, de sede sua prohibeantur recedere, & quod teneant campanellam aut capellū, quod postquam iam dimissi sunt & sui iuris, ad hominē redeant q; hominem vadentem ad ipsam expectent, quod clausi detineantur in domib⁹, hæc omnia contraria sunt naturæ suæ: proinde restat solūm per gustum assuefacere ipsas ad videndum, tangendum & audiendum hominem, & cætera quæ conuersantur cum homine, & ad omnia modo dicta. Non solūm falconarius debet esse qualis diximus, & habere intentionem dictam, circa falcones & alias aues rapaces, verūm ne operam perdat in mansuefaciendo falcones, & in habendo eos si sani non essent, conuenit vt sciat signa per quæ cognoscat falcones esse sanos, quæ sunt huiusmodi. Falco sanus omnes pennas & plumas constrictas ad se retinet, non hirsutas neq; lassas, sed illas minores plumas, quæ videntur quasi pili, & sunt inter locum rostri qui cera dicitur, & oculos, & inferiores plumas quas vocamus barbam, habet hirsutas & horripilatas, & qui quiescit & assecurat se, pennas caudæ tenet recollectas sub duabus medijs superiorib⁹, quæ duæ vocantur co-

percula,

pereula, stat erectus super pedes & firmus postquam affecurat se, oculos habet rotundos, palpebras non frequenter mobiles, & quando aperientur aut claudentur palpebræ, citò redeunt ad locum suum, & pellicula illa subpalpebralis pannosa, illa scilicet quæ exit à lachrymali oculi citò redibit ad locum suum, iuncturam autem illam alarum à qua incipiunt decem pennæ maiores forinsecæ, quam iuncturam quidam vocant humerum, & alij buctum alæ dicunt, teneat eleuatam ad caput, motus sui & suorum membrorum sunt veloces, hiare suum clarum est, & non raucum, quando vociferabit excutit se, & plumas suas, & vngnes in utroque suo latere, siue non fuerit balneatus siue fuerit, bene replicat caput suum ad capiendū perunctum desuper caudam, auidè comedit, bene digerit, largè egerit, & sine sonitu sibiloso, maior pars egestionis suæ est alba & mollis, & reliqua pars, scilicet nigrum quod est in medio egestionis, granulosa est & dura. Accidit etiam quod mutat egestionem & facit eam alterius modi, in colore & substantia, quando comedit carnes madefactas, & quando vescitur diuersis carnibus, & præcipue si comedit oua. Plumatam quam deglutiuit sine excussione capitis euomit, & ante se cadere dimittit, non cum excussione capitis ut astur & nisus, egerit propè, non longè, propter hoc super perticam falconum, quando lata est, inuenitur sæpe plumata egestio. Quantitas egestionis respondet proportionaliter quantitati cibi quem comedit, quando balneat se, submittit

mittit totum caput aquæ, indubitanter & sæpe & velociter, verberat cum alis suis fortiter aquâ balnei, gratanter, & hilariter balneat se, quando dormit stat super vnum pedem, & tenet caput in spatulas dormiendo, quàmuis hoc faciat aliquando propter famem, & post diuerberationem suam rediens ad locum suum, suauiter anhelat, & non fit anxius anhelando quemadmodum æger, expinguedine tamen anxie anhelat, sed dum tenet os apertum, tenet eodem modo dum anhelat, & anhelat frequenter, non mouens caudam motu anhelitus, quemadmodum faciunt ægri.

CAPITVLVM XLIX.

De modis mansuefactionum falconum ad standum super manum, & ad alia facienda, vt mansuefiant.

H Abito quomodo falco ponitur super manum, & quomodo manus regi debeat in sustinendo falconem, dicendū est deinde quomodo mansuefaciendus est ad standum super manum, & ad cætera facienda sibi vt incipiat mansuefieri. Mansuefacere igitur nihil aliud est, quàm inducere falconem ad sustinendum esse cum homine quietè, & omnes suas operationes facere, multipliciter quidem fit hoc. Sunt enim quidam qui nunquam ciliant falconem, neque cū capello cooperiunt ei oculos, & ipsum mansuefaciunt, & inducunt esse quietè cum homine, falco tamè qui hoc modo videtur esse mansuefa-

P

suefa-

sufactus, & quietus stat, potius est defatigatus
 & deuictus, nec potuit induci ad hoc sine ma-
 gna sui læsione. Huius signum est, quod falco
 sic mansuefactus nunquam est fortis ad aliquas
 suas operationes: Quapropter istum modū pe-
 nitus reprobamus. Fit etiam mansuefactio fal-
 conis alijs modis duob⁹, qui ambo coueniunt
 in eo, quod à principio ciliant falconem, sed
 etiam multis alijs differunt. Nam primus mo-
 dus cum ciliatura mansuefacit falconem, nullo
 modo vtendo capello. Secundus modus cilia-
 tura vtitur circa mansuefactionem falconis &
 capello. Differunt etiam hi duo modi in hoc,
 quod ille modus qui est mansuefaciendi falco-
 nem sine ciliatura & sine capello, antiquior est
 & difficilior & tardior, & fatigat magis falco-
 nes, quàm ille modus qui est cum ciliatura &
 cum capello. Nos igitur vtrumq; horum mo-
 dorum docebimus, pro eo quod ambo hi modi
 temporib⁹ nostris consueti sunt inter homines,
 & dicemus tanta de vtroq; modo, quanta suffi-
 cere possunt circa mansuefactionem cuiuscunq;
 falconis. Cum enim falconum alij sint agrestio-
 res, & propter hoc difficiles ad acquirendam
 mansuefactionem, sicut sunt plures de illis qui
 capti sunt syluestres: Alij verò sint minus agre-
 stes, & ppter hoc ad acquirendam mansuetu-
 dinem obedientiores & velociores, quemad-
 modum sunt nidasij & multi de alijs, ad omnia
 siquidem citius mansuefiunt minus agrestes,
 sed agrestiores tardius; quæ dicemus sufficiunt
 agrestioribus & ferocioribus, qui vnquã possint
 esse

esse inter falcones, minus agrestibus verò pauciora de eisdem sufficient. Et dicemus primitus de mansuefactione quæ fit sine capello, ipsa enim prior est tēpore & antiquior: & scito quomodo fiat facilimè, poterit sciri quomodo fiet mansuefactio cum capello. In mansuefaciendo igitur falconem sine capello, procedendum erit hoc ordine & hoc modo: postquam falco ciliatus est, & positus super manum, vt dictum est, debet diu teneri super manum, & deportari suaviter per domū obscuram & solitariam, & tota prima die & prima nocte, si possibile erit, teneatur super manum, nec ponatur ad sedendū super aliquam perticam vel aliam sedem, quod vt melius fieri possit, transmütandus erit falco de manu ad aliam, aut de manu vnus hominis, ad manum alterius, per has namq; vicissitudines diutius poterit sustentari, & portari super manum, & si non poterit tam diu detineri super manum, deponetur de manu super sedem vnā, secundum modum quem dicturi sumus in capitulo de perticis & sedibus. Amplius, illa prima die & illa prima nocte nihil cibi dandum est ei, quaten^o die sequenti magis esuriant, & minus aliquantulum pauescat, in qua die dissoluedus erit de sede, & super manum resumendus, quomodo dicemus. Et antequam inuitetur ad comestionem, ipse falconarius habeat in carneria sua coxam vnā gallinæ aut alias carnes idoneas, supradictas in capitulo nutriendi falcones nidafios, quando autem primitus inuitari debet ad comestionem, falconarius

portet ipsum ad domum non claram & solitariam, illic namq; facilius assuescet ad comedendum primitus: & si dicatur quod ciliatus est, poterit teneri, & etiam dari ipsi cibus in domo clara vt non videat, Respondendum est, quod quàmuis ciliatus sit, tamen tenuitas palpebrarum non impedit, quin oculi percipiant lumen diei; quo percepto, minus libenter comederet falco, dum recordaretur aëre claro, in quo esse consuenerat, propter hoc iurat vt in domo nō clara inuitetur primitus ad comedendum; in domo etiā solitaria prodest, nam si audiret voces hominum aut canum, aut ceteros tumultus insuetos audiri ab ipso, minus libenter comederet, timens de huiusmodi sonis. Manè verò inuitandus est ad comestionem, nam hac hora & venari consueuerat & comedere, & si tardius inuitaretur, ad comestionem, non restaret tempus sufficiens ad dandum sibi plurib⁹ horis cibum, vt conuenit fieri, instaret enim nox, in qua falconarius nō posset esse tantum assiduus circa falconem quantum in die. Hoc modo autem inuitabitur ad comestionem: ponentur carnes ante falconem, vt odoratu sentiat eas, cū eisdem etiam carnibus tangatur rostrum, pedus, & pedes falconis, vt ex hoc tactu fiat ei tedium, & aperiat rostrum ad mordendum, vt dum crederet & volet mordere rem quæ tangit ipsum, mordeat carnes, & mordendo saporet, saporando enim allicitur ad comedendū, præcipuè cū esuriant. Quando verò iam inceperit mordere carnes tam auidè, quod per sonum
non

non impediatur in comestione, falconarius proferat sonos ad libitum suum, planos & sine strepitu, quos quoties audierit addiscat recordari comestionis, & allici per eos ad intendendum comestioni. Qualescunq; autem sint soni non curamus, dummodo eiusdem modi sint. Iuuat etiam assuefacere falconē ad huiusmodi sonos, non solūm pro inuitando ipsum ad comestionem, sed etiam ad præseruandum falconem à malis inquietationibus, si enim falco aliquando uolet inquietare se, aut inquietabit super manum vel super sedem, si non habeantur carnes dandæ sibi, vel non sint dandæ tunc, proferantur huiusmodi soni, datus intendere sonis, cessabit ab inquietationibus, intendens & sperans comedere, & per huiusmodi sonos prolatos sibi, citius permittet fieri circa se aliqua necessaria quæ debent fieri circa ipsum. Nō est autem permittendū in principio quod vna vice comedat illam totam coxam gallinæ, aut totaliter illas carnes, quæ sibi sufficerent pro vno pastu, sed aliquid subtrahetur de suo pastu & reseruetur, de quo residuo postea multis vicibus in die detur sibi ad mordicandum, vnaquaq; vice parūm, proferendo similes sonos illis qui proferebantur quando dabatur sibi pastus, per huiusmodi scil. mordicationes, siue vt ita dicam abbeccationes sæpe sæpius iteratas, amabit plus hominem, & assuescet citius & libentius recipere cibum de manu hominis, & minus inquietabit se. Hæ etiam carnes quando dantur falconi ad comedendum, teneri debent

in eadem manu quæ sustinet auem, scilicet quod partim sint & retineantur sub tribus digitis qui concludebantur in manu sub pollice, & partim exeant inter hos digitos & pollicem, ante pedes falconis, & si opus erit iuuentur etiam retineri firmitus cum alia manu submissa prædictæ: si enim carnes non tenerentur firmiter, falco nimis auide nimisq; gulosè posset carnes comedere & deuorare, qui modus comedendi sibi esset nocius ad digerendum, cum consueuisset foris tenere carnes cum pedibus & unguibus, & eas rostro morsellatim incidere & deglutire. Mordicationes verò seu abbecationes, quas facturus est falco, faciat in eadem coxâ gallinæ, aut in carnibus pastui suo debitis, cauendo ne pluries dando sibi cibum, aut pluries faciendo ipsum mordicare, detur sibi ultra debitam quantitatem pastus quem dicturi sumus. Dum verò sic pauitaret mordicat, assuefaciendus est ad permittendum se tangi & tractari manib⁹: nam cum ipse attentus est comestioni, si tangatur suauiter aut tractetur manibus, minus pauescet ex illo tactu, & assuescet etiã permittere se tangi & tractari audacius alio tempore. Cauendum tamen est in tangendo aut tractando, ne cum manibus fœtidis tangatur aut tractetur, quoniam proinde pennæ suæ sordidarentur, & citius madescerent & deflorarentur. Debet autem deportari per domum huc & illuc: nam per deportationem huiusmodi, firmitus & securius sciet stare super manum. Circa serò etiam aut de nocte, dandum erit sibi quicquid restabat post

post abbeccationes pluries factas in die de pastu suo sibi debito, cōuenienter tamen priusquam tollatur de super manum, ponendus ad sedendum: sic namque complebitur sibi pastus sufficiens vsque manè, & superdormiet libentius, & quietus super sedem suam. Si tamen tãdiu & tam suauiter teneatur de nocte super manum, quod dormiat ibi, longè melius erit in dormiendo super manum, assuecet amplius manum diligere, & non fastidiet stare super eam. Quantitas autem cibi est sufficiens coxa vna gallinæ mediocris quantitatis, aut æqualis quantitas de carnibus alijs conuenientibus, hæc enim quantitas sufficiens pastus est circa principium pro falconibus mediocribus in quantitate, vt cum hoc pastu valeant macrefieri, & per macrefactionem & per famem, doceantur facilius assuefieri cum hominibus, & citius mansuefieri; girofalcis verò plus pertinet facris etiam quamuis sint maiores de numero falconum post girofalcos, sufficit eadem quantitas, scilicet vnus coxæ, fortes enim sunt, & possunt esse contenti huiusmodi quantitate & difficilius minorantur de sua pinguidine: Cum enim pusillanimes & debiles sint, non capiunt magnas aues quando sunt syluestres, sed paruas, vt sturnellos & huiusmodi, vermes & lacertos, de quib⁹ se pascunt & continent aliquando, sed quod huiusmodi parùm possunt habere, ita q̄ interdum sustineat tota die cum valde modico cibo, & aliquando cum nullo, & sic assueti facilius possunt esse contenti prædicto pastu, scil.

vnus coxæ gallinæ, Sed tertiolis & minoribus inter falcones, dari debet pro pastu sufficienti minor quantitas carniū, & minoranda est quantitas, secundam proportionem conuenientem quantitati sui corporis, computando scilicet quantitatem pastus ad pastum, & corporis ad corpus. Vniuersaliter autem dicendum, quod maioribus maior quantitas conuenit, minoribus minor, sed maioritas pastus & minoritas, dicitur ad quantitatem coxæ gallinæ mediocris quantitatis referendo. Veruntamen quoniam carniū quædam sunt impinguentes magis & melioris nutrimenti, quædam minus, & peioris nutrimenti, de magis impinguantibus potest dari minus, vt quod reciperent ex bona natura ipsarum carniū, subtrahatur eis ex quantitate modici, de minus autem impinguantibus, potest dari maius simili ratione. Si etiam falco syluester plurimum pinguis captus est, de quo dicimus quomodo debet primò assuescitur ad cibum & macrescere, diminui potest de quantitate pastus sustentationis suæ debita, & paulatim in tantum quod fame scat plus & plus, & ad minorem pinguedinem seu ad maciem deueniat: nam ex huiusmodi fame & macie illatis sibi, affectabit cibum amplius, & ab homine minus aufugiet, sperans semper sumere cibum de manu hominis. In macrefactione autem falconis, certum terminum macri ad quam deducendum sit, dare non possumus, cum falcones alij maiorem maciem alij minorem tolerare sufficiant, secundum fortitudinem & debilitatem

tem

tem virtutum suarum : hoc tamen omninò cauendum est, ne ad immoderatam & extenuatam maciem venire cogatur : nam per tantam maciem debiles fierent viribus & defecti, per defectum nutrimenti, tantum, quod non sufficerent facere ea quæ volumus ipsos facere, & vix possent postea retrahi à tanta macie, & recuperare carnem sibi debitam, & maxime per quam affectant esse cum homine, & sufficerent facere quæ volumus ipsos facere. Immoderata autem macies & extenuata dignoscitur in lacertosis carnibus, quæ sunt vtrinque; juxta medium pectoris : nam istæ carnes quæ sunt per longum pectoris diminuerentur descendentes vtrinque; in vallum quoddam, & medium pectoris fiet inde acutius & siccius, quæ duo cognoscuntur & tactu & visu, & color pennarum & plumarum & pedum & rostri mortificabitur quodammodo, & falco faciet exinde debiliter & remissè & impotenter, diuerberationes & excusiones & cæteras operationes suas. Non itaque; ad immoderatam maciem deducendus est neque; cogendus, neque; paulatim neque; multo magis repente : sed ad illam moderatam maciem, quæ non prohibeat ipsum facere quæ volumus, imò inducat falconem ad effectum cõuersandi cum homine & ad hominem redeundi, tanquam ab homine cibum recepturum. Sunt tamen falconarij, qui per nimiam famem & extenuatam maciem, velociter & quasi repente mansuefaciunt falcones. Et sunt alij plures qui quadam consuetudine & paulatim assuefaciunt, & ad

mansuetudinem inducunt eos. Primo modo habetur mansuetudo falconum celerius: secundo modo tardius. Sed mansuetudo acquisita celeriter, periculosior est & deterior: illi namq; falcones qui tam subito macrescunt odiunt proinde hominem, & si contingat quod recedant aut aufugiant ab homine quocunque modo, difficilius recuperantur & rehabitentur, & precipue si pascunt se foris, & longè difficilius si contingat eos pernoctare foris. Mansuetudo verò acquisita paulatim, est laudabilior, est enim salubrior in eo quod paulatim acquiritur, nam per hoc falco recipit eam in quandam consuetudinem, quæ fit ei quasi altera natura, & per hoc trahitur ad amandū hominem, & est minus nociua, in eo quod non repente macrescit falco, repente namq; calefacere aut macrifacere, aut aliter quomodocunq; corpus mouetur, naturæ est inimicum, paulatim verò naturæ amicum. Huic autem mansuetudini acquirendæ in falconibus insistimus, quoniam non timetur in ea de periculis supradictis.

CAPITVLVM L.

De sedilibus super quibus ponendi sunt falcones, postquam de manibus deponuntur.

ET quoniam tenere falconem semper super manu non est possibile, tum propter falconarium, qui non potest se semper dare falconi, cum necesse habeat dormire, & comedare, & alia sua

lia sua necessaria facere, tum propter falconem, quem taderet semp esse super manum, cum naturaliter esse consuevit & stare super firmiores sedes, oportet vt dicamus de sedibus super quas ponendus est ad standum, quando de manu deponitur. Est igitur sedes falconis id super quod falco ligatur ad quiescendū, quando de manu deponitur. Sedium autem vna est, quæ pertica dicitur, alia est, quæ approbato vocabulo sedile seu seditorium nuncupatur: perticarum autem alia est alta, alia est ima: sedile verò non nisi vnū; prius verò dicamus de pertica alta, deinde de ima, deinde de sedili. Alta igitur pertica debet esse lignea, ampla desuper ad mensuram vnus pedis, vt falco qui habet magnam ponderositatem respectu quantitatis sui corporis, coxas & tibias breues, ligatus curte vt dicitur in medio latitudinis perticæ, se de pertica deijcere non possit, neque ante retro, hic enim si non ligaretur curte, aut si pertica esset strictior quam diximus, cum se diuerberaret & de pertica deijceret, non esset de facili promptus diuertere sè, sed penderet, ex qua suspensione noceretur pannis suis, & toti suo corpori, præcipuè renibus. Debet autem esse exaltata super terram ad quantitatem staturæ hominis vsq; ad oculos, vt homo possit videre facilius super perticam quod necessarium est videre; egestionem verò falconis factam quandoq; super perticam, & purgatura seu plumatura quam euomit super eandem perticam, & inuolutio quæ cōtingit quandoq; iactis, facilius videbuntur; quòd si pertica esset

esset altior, non possent hæc conuenienter videri; Et si esset inferior, non esset similiter conueniens, quoniam visus hominis superueniret ex opposito visui falconis, vnde plus timeret falco, & si canes etiam & alia animalia de quibus timeret falco naturaliter, transfirent sub pertica, longe magis timeret propterea falco, cum transfirent & propius essent sibi, magis diuerberaret se. Sola etiam debet esse pertica, vt nulla alia pertica sit sibi collateralis, vicina neque remota in eadem camera: nam si essent duæ sic collaterales, vicinæ aut distantes in eadem camera, secundum eundem situm locatæ, falco qui sederet in vna earum, semper haberet voluntatem diuerberandi se, & deiiciendi ad aliam perticam & nos semper intendere debemus qd se non diuerberet, & propter hoc si erunt duæ aut plures, locentur prope parietes diuersos in eadem domo; melius tamen est quod sit vnica. Situetur etiam tantum distanter à parietibus domus, quod falco sedens in ea, non possit diuerberando se cum alis suis tangere parietem, & situetur firma super pedes suos, ne motu eius si facile fieret, causa foret in quietationis falconis, bonum est tamen quod sit portabilis & de loco in locum mutabilis, in alio enim loco domus ponenda erit dum falco agrestis erit, & nondum mansuetus, quoniam in obscuro & remotè à ianuis, & in alio postquam falco mansuetus erit, quoniã in clariori loco domus poni poterit, potest etiam firma & immobilis permanere, & aër in domo per apertionem & clausuram

suram fenestrarum fieri minus clarus aut magis,
 in loco etiam ad quem fumus non possit peruenire, neq; cætera incōuenientia quæ fiunt in domibus, poni debet, & longa poterit esse multum vel parum, attendendo spatium domus quod comprehendere debet. Pertica verò ima, duobus modis esse potest; lignea rotunda, aut lignea quadrata, & debet esse exaltata super terram tantum, quod cauda falconis stantis super eas, non possit tangere terram, longa verò potest esse parum vel multum. Et si plures erunt, locentur, vt diximus, de altis. Sedile verò vocamus quod de ligno vel de petra fit, & eius superficies latior plana est & æqua, comprehensa in circuitu circumferentia columnari, & debet esse sedile rotundum descendens in acuitatem, ad modum figuræ quam Geometræ dicunt pyramidalem, in acuitate huius sedilis, infigatur ferrum longum vno palmo, grossum grossitudine digiti pollicis, ferrum sit siue quadratum siue rotundum, inferius acutum, vt citius possit infigi in terram, & firmiter adherere, altitudo quæ debet habere super terram sedile, tanta sit quanta erit perticæ inferioris; item circulus vnus ligneus aut ferreus habeatur per se, absolutus ab hoc sedili pyramidali, qui deponitur in terram, & ferrum sedilis per medium eius in terram infigatur. Huius verò circuli utilitas est, quod longa alligatur ad ipsum, quatenus in reuolutione longæ circulus reuoluatur, ne possit longa impediri in aliquo circa sedile, & iste circulus portandus est & habendus semper cum ipso sedili,

& si

238 DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

& si plura erunt sedilia locanda in eadem domo, sic locentur, quod falcones de diuersis sedilibus se non possint tangere. Quidam sunt qui hoc sedile quadratū de petra faciunt, quod non est tamen cōueniens forte, namq; contingit quod falco deijcit se de sedili quadrato, & longa retinetur in vno angulorum, vnde falco de facili allidit pennas caudæ & alarum angulis sedilis diuerberando se, præterea quando falco balneatus imponitur sedili quadrato, & expandit alas, pennæ alarum madefactæ & tangentes angulos sedilis plicantur de facili, amplius, non potest ligari ad sedile quadratū cum circulo aliquo, sicut ad sedile rotundū, sed oportet quod cauilia vna lignea infigatur in terram prope sedile quadratum, ad quam alligatur longa, amplius non commodè fertur à loco ad locum petrinum hoc quadratum, quod commodè fieri potest ligneum pyramidale. Rursus, pertica alta & sedile locanda sunt in domibus prope parietes, vt non sint in passagijs hominum, aut aliorum animalium domesticorū, non tamen debent in tantum vicinari parietibus; q̄ falcones diuerberando se possint allidere pennas suas parietibus. Itē sub pertica ima & circum circa sedile, sternenda est palea, vel herba, vel sabulū, quoniam si falcones diuerberando se ad terram deijcerent asperam, possent de facili excoriare plantas pedū, & dirumpere extremitates penarum quæ sunt in alis & cauda. Tot igitur modis sunt sedes pro falconibus & tales, & sic poni debent. Pro accipitrib⁹ verò quales debent esse sedes, suo loco dicatur.

CAPIT.

CAPITVLVM LI.

De diuersis iuuamentis diuerforum sedilium, & de perticis, & qualiter ligentur in ipsis.

Dicatur nunc in quibus est iuuamentum vnius perticæ, plusquam alterius, & perticarum quàm sedilium, & e contra. Iuuat autem pertica alta plusquam ima in hoc, quod plures falcones ligari possunt ad altã quàm ad imam, & minus impedit domum alta quàm ima: Et falco stans super perticam altam, minus pauescet ad aduentum hominis, & aliorum animalium de domo, quàm stans super imam, canes enim & porci & huiusmodi, si contingat quod accedant versus perticam altam, etiam absente custode falconi minus nocebunt, quoniam nõ poterunt attingere sursum, quamuis desubtus transeant, quam versus imam aut sedile, ppter hoc idem pro semideciliatis, & pro nouiter deciliatis & agrestibus, melior est alta quàm ima, & quàm sedile, pro ciliatis verò non est alta melior quam ima, aut quam sedile, cum indifferenter possint poni in quavis sedum: sup imam tamẽ aut super sedile melius quàm super altam quia sup alta posset intorquere iactos, & allidere personã suam & pennas. Sedile etiã & ima pertica in hoc melius sunt pro ciliato falcone quàm pertica alta, quoniam si contingat quod falco immittat rostrũ suum in foramen campanellæ, pendere poterit ex alta, ex qua suspensione mul-
tũm

tum poterit lædi: in sedili verò & in ima hoc non eueniet; ima verò pertica iuuat plus quam alta in hoc, quod falco non potest pendere ex ea, neque dirumpere suam personam, neq; suas pennas, quemadmodum potest super altam, & in hoc, quod de ima potest descendere & iacere in terra, si indiget vt quiescat, & in hoc, quod longa cum qua ligatur falco ad imam, non tam de facili intorqueri poterit, eo quod ligatio longa ad vtrumq; scil. imam & sedile, fit longa, & in hoc, quod si falconarius non possit esse præsens aliqua hora, januis domus clausis, securius dimittitur falco super imam quàm super altam. Ima etiam melior est quam sedile in hoc, quod potest fieri longa multum, & recipere plures falcones, super sedile vero vnus solus falco ponitur ad sedendum. Sedile verò iuuat plus quam pertica alta & quam ima in hoc, quod falco securius & sine maiori læsione stare potest super sedile, quàm in quauis perticarum, nam in perticis si plures sedeant falcones, lædere possunt se inuicem facilius quàm super sedile, vbi non est nisi vnus solus, & in hoc, quod quando etiam vnus falco staret super perticam, maius periculum est sibi quam super sedile, ad perticam namq; pro eo quod longa est, potest diuerberare se dextrorsum aut sinistrorsum, & vtrunque lædere personam suam & pennas, ad sedile verò non poterit, cum locus circa sedile sit expeditus. Deinceps dicamus qualiter alligandi sunt falcones istis suis sedilibus, non enim eodem modo alligandi sunt ciliati vt deciliati, neque

neque eodem modo perticis vt sedili, proinde videnda est diuersitas. Falco itaque quando ciliatus est, indifferenter poni potest ad sedendum in quauis pertica aut sedili, cum enim nō videat, non habebit maiorem causam inquerandi se & aliter diuerberādi in vna sede quā in alia. Hoc autem modo poni debet ad sedendum in pertica alta & longa, posita longa per ambos annulos iactorum & nodata circa ipsos, eo modo qui dictus est in capitulo de longa, facies falconis & pectus non debent apponi perticæ quando salire debet ad standū; cum enim ciliatus sit & non videat, sic oppositus perticæ non saliet super eam, quāuis perticam cum pectore suo tangat, sed falconarius debet exaltare manū suam super quam est falco, ante perticam, & prope ipsam, & postea debet humiliare manum eam paulatim iuxta perticam, tali modo, vt cauda falconis & ouaria ipsius super sit perticæ & coxæ falconis, & posteriora genuū cum manu falconarij tangant perticam, post hæc relaxentur iacti aperiendo manum in qua sunt: falco enim hic ciliatus frequentius & libentius descendet à posteriori, eo modo qui dictus est ad standum super perticam. Interim autem dum fiunt hæc cum manu portante falconem, falconarius cum alia manu accipiet longius caput longæ, & proijciat desuper perticam vltra, & cum eadem manu accipiat vtrunq; caput longæ subtus perticam & trahat inferius, vt nodus longæ continens annulos possit peruenire descendens ad medium amplitudinis perticæ,

℞

tica,

ticæ, & tunc suauiter remoueat manus, quæ
 portabat falconem, vt falco de manu super me-
 dium perticæ suauiter descendat, & post hoc
 longius caput longæ regyretur alia vice circa
 perticam, quod debet implicari cum alio capi-
 te longæ subtus perticam, & innodari prius vno
 nodo post alium nodum solubilem, quem no-
 dum falconarius citò possit soluere cum opus
 erit: Ex his autem duabus complicationib' ca-
 pitum longæ fit vnus nodus. Duz verò regyra-
 tiones de dicto capite longæ fiunt circa perti-
 cam, vt nodus longæ cōstringens iactos firmitus
 stet in medio perticæ: q; si sic non fieret, nodus
 iactorum cum longa discurrere posset ad partes
 perticæ hinc inde, & si falco diuerberaret se, nō
 posset facillè redire, vnde posset potius se ledere.
 Hoc modo ponitur falco ciliatus ad standum
 super perticam altam; & ligatur, ligato falcone
 recedere potest falconarius à falcone, secun-
 dum quod voluerit, dummodo neque impe-
 tuose neq; cum tumultu recedat: cauere namq;
 debet, ne aliquo modo timere faciat falconem,
 aut inquietare in recedendo. Quando autem
 falconario libebit ligare falconem ciliatum ad
 perticam imam, hoc modo faciet: traducet lon-
 gam per ambos annulos iactorum, vsque ad no-
 dum extremitatis longæ, nec innodabit annu-
 los iactorum cum longa, sicut fiebat quando li-
 gari debebat falco ad perticā altam, inclinabit
 se & genu flectet ex illo latere vnde non tenet
 falconem, & cum illa manu cum qua non por-
 tat falconem, ponat extremitatem longæ non
 nodat

nodatam circa perticam, & traducet longam in tantum per perticam, quod à pertica vsq; ad iactos non restet de longa nisi quantitas vnius pedis & medij, & nodabit ipsam longam cum pertica, tali modo, quod quando trahetur extremitas longæ, soluatur facilè, hoc facto appropinquet plus manum quæ sustinet falconem perticæ, vt manus falconarij & coxæ falconis tangent perticam; ouaria verò & cauda falconis superlit perticæ, hoc modo, à posteriori falco, cum ciliatus sit, libentius ascendet super perticam, quam anteposita facie vel pectore, ligato falcone sic relaxet iactos, & permittat falconem ascendere, deinde falconarius surgat suauiter & sine mora recedat. Rursus quando falconario libebit alligare falconem ciliatū ad sedile, hoc modo faciat: longa pertranseat annulos iactorū vsq; ad extremitatem nodatam, & nō nodetur cum annulis iactorum, sicut nec suprā: accedat falconarius & inclinet se & genuflectat cum falcone ante sedile, quemadmodū ante perticam imam, sicut circa perticam nodabit longā, & ad eandem longitudinem, sic in annulo sedilis alliget longam, & ponat falconem ciliatum ad sedendum supra sedile, vt faciebat ad perticam imam, & recedat quemadmodum à pertica. Et licet dixerim⁹ quod falco ciliatus indifferenter posset poni ad sedendū super quam sedem voluerit falconarius de trib⁹ dictis: tamen pro falcone melius est & saluius super sedile, vt dictū est suprā in operatione sedium & perticarū ad inuicem. Hi itaq; tres modi alligandi falconem

communicant in eo, quod falco ciliatus conuenienter ligari potest ad quamcunq; de tribus, & in eo, quod falco ciliatus ponitur super has sedes à posteriori conuenientius, & in alijs etiã communicant. Differunt autem in eo quod alligatura ad perticam altam fit cum curritate longæ, ad imam verò & ad sedile cum longitudine longæ vnius pedis & medij: alligatura verò falconis ad perticam imam & ad altam differt ab alligatura quæ fit falconis ad sedile, quoniam ad sedile ligatur vnus solus falco, ad perticas autem imam & altam ligari possunt plures, falcones simul, plurium etiam falconum ligatura ad altam perticam & ad imam, differentiam habet vt patebit, dicto de ligaturis ipsis quemadmodum habere se debent. Ad altam verò perticam plures falcones simul sic ligabuntur: ligato vno falcone, secundum modum qui dictus est, alius falco eiusdem speciei aut propinqua debet ligari tam distanter à primo, quod nec cum alis aut cum rostro possint sibi inuicem nocere, vnde inter maiores falcones maior debet esse distantia, inter minores minor. Patet igitur quod ligaturæ ipsæ tantum distant quantum & falcones, & eodem modo possunt ligari plures ad eandem perticam, secundum quantitatem perticæ. Ad imam autem plures falcones sic simul ligabuntur: ligato vno falcone ad eam, vt prædictum est, alius falco ponatur distanter ab illo, sed tamen ambæ ligaturæ longarum ad perticam imam fiant vicinæ inuicem, quantum plus poterunt: tertium autem quando ligare volue-

voluerit ad eandem perticam, in tanta distantia liget ipsum, quod nec cum rostro nec cum vnguibus, nec etiam cum alis possit tangere aliquem de duobus qui prius sunt ligati. Quartum autem ligabit cum tertio, quemadmodum ligauerat secundum cum primo. Et sic facere debebit de pluribus per ordinem, binis & binis ligatis secundum longitudinem perticæ. Differunt namq; istæ ligaturæ in eo, quod plures ligantur ad altam perticam curtis ligaturis longarum ad perticam, & distantibus ab inuicem, ita quod singulæ ligaturæ per se factæ sint, & distent quantum falcones: Ad imam verò bini & bini ligentur, non curtis ligaturis longarum ad perticam neq; distantib⁹, sed quibuscunque duabus inter se vicinis & propinquis valde. Ad hæc autem duæ ligaturæ falconū collateralium in ima pertica vicinæ sunt, quia cum ligatura cuiusq; longarum ad perticam fiat secundum longitudinem vnus pedis & medij, si distarent ipsæ ligaturæ, ita quod falcones possent in diuerberando pertransire alter ad alterum, accidere posset quandoque quod ambæ longæ in modum crucis alligarentur inuicem falconib⁹ se conferentibus altrinsecus, & hæc intricatura longarum esset magno nocumento ambobus falconibus, sed quando ligaturæ quorumque duorum sunt vicinæ, non potest hoc contingere, imò si longæ illigant sese, colligantia nõ stabit in sursum earum, sed descendet in deorsum ipsarū propenodos earum, qui sunt super perticam, & remanebit longitudo longarum sic

Q 3

intri-

intricatarum non damnosa falconibus. Si tamē
 volet falconarius plures falcones ligare ad imā
 perticam singulos semotim, & tam longē quod
 non possint sese altrinfecus super perticam di-
 uerberando pertransire, vt fit ad altam perti-
 cam, fieri potest securē nec erit nociuum ipsis
 falconibus, neq; per se ipsos, neq; per ligaturas
 sic distantes, attamen plures sedebunt in vna
 pertica ligati bini & bini, vt dictum est. Aut igitur
 ligentur plures ad imam perticam, tantum
 distantes, quod nullo modo sit eis nociuum,
 aut sic prope, quod tricatura longarum non in-
 cidat ad damnum falconis. Sunt igitur ligaturæ
 tales falconis vnus ad sedile, & vnus aut plu-
 rium ad perticas, & hoc modo differunt inter se
 ligaturæ, quomodo autem leuandus est falco
 de huiusmodi sedibus, accipiatur ex capitulo
 de ciliatis, quomodo leuantur de sedibus.

CAPITVLVM LII.

De inquietationibus & diuerberationi-
 bus, quas facit falco ciliatus: Et de
 differentijs inter inquietationem, &
 diuerberationem.

Postquā falco ciliatus positus erit & liga-
 tus ad perticas vel ad sedile, vt stans in ali-
 qua illarum sedium quiescat & dormiat, falco-
 narius debet esse attentus requirere & visitare
 falconem, eo enim quod falco sentit se captum,
 cupiens expedire se, aliquando inquietat se, &
 aliquando diuerberat se. Inquietationem au-
 tem

rem dicim⁹ omnem illam defatigationem quã facit falco nõ conando recedere ad volandum, de loco super quem sedit. Diuerberare verò dicimus, quando de manu vel sede sua conatur recedere ad volandũ. Quod diuerberare, quoniam acrius facit quando deciliatus est & periculosius pluribus modis, dicetur postquam erit falco deciliatus: Nunc autem de inquietationibus suis dicamus, vt doceam⁹ præseruare ipsum ab illis, pro eo q, inquietationes possunt causæ esse multiplicis læsionis in persona & membris falconis. Inquietat autem falco ciliatus se multipliciter, super manum aut sedem suam quamcunque: Aliquando enim mordendo iactos & campanellam, aut chirothecam portantis; aliquando raspando cum vnguibus caput suum, maximè vbi est ciliatura; aliquando circumeundo super locum vbi stat, vnde intorquentur iacti in pedibus suis: aliquando flagellando. Causa autem quare mordeat iactos aut campanellam, aut chirothecam, est: cùm non fuerit vsus habere ligamina huiusmodi in suis pedib⁹, neque superesse chirotheca, cupit remouere ligamina mordendo, ex quo sequitur quod dum mordendo trahit iactos, nocet aliquando suis pedibus per stricturam ligaminis, & aliquando mordet digitos suos aut crura, & fatigat se, & accidit quod rostrũ suum immittit quandoq; in foramina campanellæ, si ampla sint; Vt autem non mordeat, anteponatur rostro suo testavna, aut lignũ durum, aut lapis quãdo mordere volet, vt per fastidium & per duritiem rei oppo-

sitæ definat mordere: foramina campanellæ sint
 ampla tantùm quòd rostrum falconis non pos-
 sit intercipi. Raspat autem vbi est ciliatura, per
 duas causas, vna est, quia vult remouere ligamē
 ab oculis, vt possit videre, alia quia ex ciliatura
 dolent palpebræ, & vbi dolor, illic pedes eius,
 vnde accidit q̄ immittendo pedem inter caput
 & ciliaturam, & rumpit ciliaturam, & dilacerat
 palpebras. Hoc tamen raspare non omnes fal-
 cones faciunt. Succurritur autem huic inquie-
 tationi hoc modo, ligantur digiti vtriusq; pe-
 dis, qui dicuntur pollices, cum corrigiola, di-
 stantes à se inuicem, sit autem distantia quan-
 tum est amplitudo trium digitorum, & plus vel
 minus, secundum quantitatem falconum. Maioribus namq; maior distantia cōuenit, & minoribus minor: Hoc modo non poterit erigere pedē vsq; ad ciliaturam. Intorquet autem iactos suos, quando querit mutare locum, & quia ligatus est non potest recedere, circuit super manū aut super perticam, ex quo circuitu sequitur intortio iactorum, propter quam intortionem constringuntur pedes falconis, & accidet quod nō poterunt stare super pedes, sed cadunt stantes super genua sua, ex hac etiam intortione sequitur inflatio pedum, & alia læsiones in pennis & membris. Huic autem succurritur in hunc modum: quando percipit falconarius quod falco ciliatus super manum circuire parat, sic vertat se, quod ex circuitu falconis, & ex motu falconarij & brachij falco inueniatur stans sup manum, eadispotione qua conuenit, vel ponatur ad se-

ad sedendum super perticam iam, aut super sedile, illic enim pro eo quod ligatur falco longius, non possunt intorqueri iacti, & ipse sentit se magis liberum, quoniam ligatus est longius, vel si non vult ponere ipsum ad standum super perticam iam, neq; super sedile, sed retinere ipsum super manum, & iacti iam sint intorti, cum alia manu distorqueantur iacti, & si opus erit propter aliquid, ponere ipsum super manū, tollat ipsum mordicantem tiratorium, quouſque fecerit quod debet, & postmodum si voluerit falconarius, liget ipsum tunc sicut prius ligauerat ipsum. Et quoniam non potest assiduus semper esse falconarius in custodiendo falconē, super perticam potest ligare longam ad iactos, mediante tornetto vno, & non poterunt iacti intorqueri, ita tamen curtum sit tornettum inter longam & iactos, quod falco per diuerberationes non possit transire perticam ex aliqua parte sui. Si verò sine tornetto ligabitur, sæpius requiratur, nam intortio iactorum causa est, quod falco mordeat iactos, quemadmodum ciliatura causa est, quod falco raspas eas. Flagellat autem alis, quoniam voluntatem habet volandi, & cum sentiat se ligatum, non attendit diuerberare se, neq; dimittere locum in quo sedet, Cuius simile videtur in falconibus junioribus priusquam possint volare, siue sint de illis qui sunt in nido siue de illis qui nutriuntur in domibus, ipsi enim non sunt ausi recedere timore cadendi, sed desiderio volandi flagellant alis frequenter, & tamen locum suum non di-

mittunt, quod volare non possunt. Inde est quod existimamus hanc esse occasionem flagellandi, & in ipsa eadem flagellatione, falco assuefacit alas suas ad volandum, vnde sæpè accidit quod post flagellationē diuerberent se: flagellatio verò non erit periculosa, nisi quando ipsam sequatur diuerberatio. Cùm itaque videbit falconarius, quod falco flagellat alis, & timet ne inde sequi debeat diuerberatio, si falco super perticā aut sedile flagellabit, soluat ipsum, & tollat falconem super manum, nam omnes inquietationes & diuerberationes, minus periculosa sunt super manum, quàm super perticam aut sedile, quia melius potest succurri. Et si super manum flagellauerit, & postea velit se diuerberare, diuerberatione quæ prohibenda sit, inuitandus erit cum vocibus, & si non sufficit, dabitur sibi tiratorium non carnosum aut carnosum: Et si per inquietationes calefit, & non cessat inquietare per ea quæ docuimus, oportebit quod irroretur aqua frigida, aut quod inuitetur ad balneum, secundū modum quem diximus, in capitulis mansuefaciendi ipsum falconem deciliatum.

CAPITVLVM LIII.

De mansuefactione falconum ciliatorū ad gustum, auditum, & tactum.

DIctus modus dandi cibum & abbecationes plures, & assuefaciendi falconem ad suauem tactum cum manibus per rostrum, pectus, alas, caudam & pedes, circa principium faciendus

ciendus est, per aliquos dies in domo non clara, & solitaria, vsquequo se assuescat comedere, & aliquátulum auidè, & iam incipiat mansuescere. Deinde verò portetur ad domum claram, cuius fenestræ & januz sint apertæ, & in qua sint multi homines loquentes, & canes & cætera multa, inter quæ debet conuersari, & ad quæ audienda debet assuescere, & debet sibi dari pastus, & abbeccationes pluries in die, sicut fiebat in domo obscura & solitaria, tangatur etiam suavi tactu, dum pascitur aut mordicat, vt melius assuescat se tangi, & pluribus diebus fiat hoc. Postquam verò iam comedit securè, vnaquaque vice dum pascitur debet assuescere ad sonos diuersos, & tumultus qui cõsueuerunt fieri inter homines, vt assuetus eis, quoties illos audierit non pauescat, & debet deportari per diuersa loca domus die & nocte, vt assuescat melius ad audiendum diuersa, & firmitus stare super manum. Hic autem modus habendus est circa falconem donec cognoscatur bene assuetus ad sustinendum portari super manum, tangi, & auidius comedere quàm prius, & audire securius sonos & tumultus diuersos. Patet igitur quomodo assuescendus est falco ad gustum, sc. vt cibum affectet accipere de manu hominis, quod non consueuerat, & per gustum ad permittendum se tangi ab his à quibus non consueuerat tangi, sed potius horrebat tangi ab eis, & per gustum & tactum ad audiendum sine timore quæ prius audire timebat, & ad hæc omnia assuescit, priusquàm decilietur, & quam permittatur videre insuetam sibi,

sibi, nec esset facile assuefacere ipsum ad omnes sensus sine lésione. Hoc verò irrationabiliter quæritur, sc. quod sicut fuit necessarium ciliare falconem, ne videat horrenda & insueta sibi, & pro illis visis se inquietet aut distrahat, sic fuisset vtile obturare aures falconis, vt non pauesceret ad audienda horrenda sibi quæ nõ consueuerit audire, & propter quæ audita pauescit & inquietatur. Ad quod respondendum est, quod falco assuefit ad tolerandum obiecta cæterorum sensuum, insueta prius sibi, & quoniam in dando sibi cibum iuuat proferre sibi sonos blandientes & allicientes, quos quoties audierit, recordetur facilius, & inuitetur ad gustandũ cibum, oportuit quod haberet aures apertas & non obturatas, vt audiret huiusmodi sonos. Amplius, magis erat consuetus audire voces hominum & aliorum, quàm videre facies hominum, aut interiora domorum; & quàm tangi ab aliis quibus insuetis, & tangere insueta, omnia enim volentia tangere ipsum horrebat & timebat, credens ei nociua plumis & pennis, nec non & suis membris. Amplius, ea quæ audiebat non dabant sibi tantam discretionem rerum nociuarũ, quantam dabant quæ videbat, nec timebat tantũ ea quorum sonos audiebat, quantum tangentia ipsum & ea quæ videbat. Et melius cognoscuntur per visum non esse placabilia, quàm per auditum, Hæc ergò mansuefactio faciendã falconi, dum est ciliatus sufficit, vt ad tres sensus faciliores primus mansuefiat, scilicet auditus, gustus, & tactus.

REX

REX.

Amplius, intentio falconarij debet esse assuefacere falconem, vt vtatur sine horribilitate sua, omnibus sensibus suis secum, ad quod faciendum, oportet quod auferat sibi sensum per quem magis horret ea quibus non est vsus, scilicet visum, & dimittat sensus per quos minus horret ea quę sentit, scilicet auditum & tactum, quia licet per hos sensus aliqua horreat, sapor tamen gustus adeo delectabilis est, quod ipsos mansuefacit, quod de visu non accidit, cum maiorem horribilitatem reportet ex visu eorū quę videt, quam per delectationem ex gustu. Et amplius, si clauderetur ipsi aures, esset indomesticus quando apperirentur sibi aures, sicut priusquā audiret ea quę non consueuerat audire. Et sic falconarius amisisset intentionem suam mansuefaciendi ipsum falconem.

CAPITVLVM LIV.

De mansuefactione falconum ad visum,
quando paulatim deciliari
incipiunt,

Diximus quomodo mansuefaciendus est falco ciliatus ad gustum, tactum, & auditum: Dicamus quomodo mansuefaciendus est ad visum, paulatim autem mansuefaciendus est ad visum, sicut ad alios sensus paulatim mansuefactus est, & tantò indiget ampliùs paulatim mansuesieri ad visum, quantò magis horribile est ei videre insueta, quàm gustare, tangere, vel audire. Paulatim verò mansuesiet ad videndum

dum insueta, si paulatim deciliabitur, non repente: nam si repente deciliaretur totaliter, nō solum non mansuifieret ad videndum insueta, sed potius ad cetera in quibus iam erat mansuefactus, magis insuetus fieret, & magis agrestis, aut si contingeret quod mansuetus fieret, sine ciliatura aut cū deciliatura subita, nō eueniret hoc ex arte, nec ex consuetudine, sed falco fatigationibus & conaminibus suis esset deuictus potius quā mansuefactus, quod non posset accidere sine læsione sui, tanta, quod vix vnquam posset redire ad fortitudinem suam: ideo oportet primitus relaxare paulatim ciliaturam, & non simul ex toto deciliare. Relaxetur autem ciliatura vsque ad medietatem oculorum, hoc modo: apprehendatur per spatulas, & tenebitur falco, sicut tenebatur quando ciliabatur, si palpebrarum foramina, in quibus est filum, non sint desuper putrefacta aut corrosa in tantum, quod non possit timeri de arruptione foraminum, vsq; ad tempus quo ex toto debet deciliari, dissoluatur nodus concipiens duo extrema fili super caput falconis, & iterum fiat nodus, ita tamen, quod ambæ palpebræ quas detinet filum, descendant vsque ad medietatem oculorum, & reaptentur plumæ super nodum ipsum, vt fiebat, quando ciliabatur, sed si foramina palpebrarum adeo sunt corrosa & desuper putrefacta, quod non possint durare vsque ad tempus id, in quo debet deciliari, filum dissoluendum aut scindendum est, & ex toto à palpebris auferendum, & alia duo foramina propinqua primis

mis erunt faciēda, & operanda cum acu & filo, sicut in ciliando: tamen palpebræ non sunt eleuandæ, nisi vsque ad medietatem oculorum. De nocte verò, aut in domo non clara, in qua domo non sint multi homines, relaxanda est ciliatura, quæ iuuabit in eo, quod falco non videbit manifestè hominem, qui portat ipsum, nec faciem eius, nec cetera insueta videri, & quia non videbit ea manifestè, minus pauescet pro eis, & paulatim & gradatim affuehat videre ea, quâuis non clare, & quia paulatim & gradatim vertetur in quandam cōsuetudinem & naturā alterā, in hoc modo deciliationis incipiet melius affuehieri videre hominē & faciem hominis, & motus manuum, tam ad nō tangendū falconem, quam ad tangendū, & proinde facilius tolerabit se tangi, & præuidens in sursum claritatem luminis, diuerberabit se ad superius & non ad deorsum, cum non videat submissa sibi, & propter hoc affuehiet ad meliorem diuerberationem, de quibus dicetur infra, & addiscet stare erectus super manum, per hoc quod videbit & prospiciet ad altum. Relaxata itaq; ciliatura, vt dictum est, & reposito falcone ad standum super manum, portandus erit falco huc & illuc per domum, per diem & noctem priusquam ponatur ad standum in sede sua, & pectus suus diuisus in plures partes dandus erit sibi pluribus vicibus, vnaquaq; vice, particula vna, & pluries abbecandus erit cū tiratorio, & tangendus erit suauiter, & affuefaciendus ad sonos diuersos quos audiet, & cetera omnia erunt faci-

facienda per aliquos dies, sicut fiebant ei quādo erat ciliatus. Hoc factoper aliquot dies, transmutari poterit de non clara domo, ad domum aliquantulum claram vbi sint homines, & in illa domo aliquantulum clara tenendus est per aliquot dies & assuefaciendus, & de domo aliquantulum clara transmutandus erit ad magis claram, faciendo similiter, augmētato enim lumine paulatim, vt ipse paulatim incipiat assueferi ad lumen, & ad videndum caliginosa & homines & ea quæ sunt in domibus, & ad audiendum & ad permittendū se tangi suauiter. Quod autē diximus, per aliquot dies debere fieri circa falconem, intelligendum est hoc modo, si falco est agrestis valde, & ideo tardiū recipiens assuefactionem, omnia quæ diximus, erunt faciēda circa ipsum per plures dies: si verò minus agrestis, & ideo citius recipiens assuefactionem, per pauciores. Quando autem videbitur quod falco semideciliatus iam non timet in domo non clara, nec in claritate esse, cum homine portari, & videre ea quæ sunt in domibus, quamuis non manifestè videat, oportet quod semideciliatus assuefiat portari extra domum, ad aërem liberum, primò à falconario pedestri, deinde ab equestri, fiet autem hoc modo: falconarius quando debet portare falconem semideciliatum extra domum pedester, surget ante diem, & assumet falconem de sede sua super manum suam, & in transeundo per portam domus, habebit illam diligentiam, quam dicemus infra, & morando deforis, & redeundo, post-

postquam autem hoc erit factum per aliquot dies, portandus erit similiter extra domum ab equestri, & surget similiter falconarius ante diem, & assumet falconem, & exhibit de domo, & ascendet equum, & portabit foras, primò propè & parùm morando de foris, redire namque debet postquã lumen diei aduenerit alia, vice longius, & morando plus deforis, cum lumine diei erit redeundus. Qualiter autem cauendum sit falconi in ascensu super equum, aut in descensu, dicetur quando deportabitur foras deciliatus, semideciliatus enim non inquietat se tantùm, neque diuerberat se tam acriter, neq; motus sui sunt tam agrestes quando semideciliatus est, cum non videat plenè quemadmodũ quando plenè est deciliatus. Quando autem falconario placuerit ponere falconem semideciliatum ad sedendum, super aliquam de sedibus dictis, super altam perticam ponet ipsum: hæc enim est magis conueniens ipsi quàm ima, aut quàm sedile, pro eo enim quod videt, quàmuis nõ plenè, magis timeret, & diuerberaret se magis pro approximantib⁹ ad ipsum, si esset in sedib⁹ imis. Et iterùm, quoniam videret, forsitan non sustineret esse quietus interim dum ligaretur, ad quamcunque de sedibus, ideo dum ligatur, falconarius debet dare ei tiratoriũ, & postquam ligatura ad perticam vel ad sedile facta erit, auferet tiratorium ab eo, & facies falconis & pectore anteposito sedi, ponet ipsum ad sedendum, falco enim qui iam videt & discernit sedem, libentius recedit de manu falconarij ad

R

sedem.

sedendum in sede quam videt. De cæteris verò omnibus, quæ conuenit fieri in ligando vnum vel plures simul, faciet vt dictum est de ciliatis. In defectu autem perticæ altæ, poterit poni ad sedendum ad imam perticam, aut ad sedile, sc. cum longitudine longarum &c: cum maxima tamen diligentia custodiendus est, & requirendus sæpe dum est in sedibus dictis. Qualiter autem suis inquietationibus succurri debeat, dictum est in capitulo præcedenti. Propter quas autem causas se diuerberat, & quomodo prohiberi debeat, ne se diuerberet, & quomodo succurri debeat diuerberationibus quas fecerit, dicitur in capitulis de mansuefactione falconis totaliter deciliati. Et quomodo leuandus est de sedibus huiusmodi falco semideciliatus, haberi potest ex eisdem capitulis.

CAPITVLVM LV.

De mansuefactione falconum totaliter deciliatorum, qualiter deciliantur, & quo tempore, & de ipsorum inquietationibus.

Postquam erit assuefactus in domo super manū pedestris semideciliatus, & extra domum super manū pedestris & equestris; assuefaciendus erit ad hoc quod videat manifeste, & poterit ex toto deciliari. Illa autem die quando debet deciliari totaliter, non est dandus sibi totus pastus manè, sed reseruandum erit aliquid de ipso quod dabitur falconi nocte statim cum erit

erit deciliatus, sed tamen de alijs carnibus recentibus, vt tunc compleatur sibi pastus suus priusquam deciliatus ponatur ad sedendum. Per diem autem non est deciliandus, quoniam per claritatem diei discernet euidenter & repente facies hominis, & cætera quæ nondum videre consueuerat manifestè, & timeret valde, ex quo timore inquietaret se, & magno conamine niteretur euadere, ex quo conamine accederet sibi fatigatio & morbus, ex quibus cum accederet, abhorreret magis hominem, credens quod per eum hæc mala sibi accidissent, & faciliè rediret ad suam pristinam agrestitatem, & multò tardiùs posset deinde mansuescieri. Per noctem verò deciliabitur multò cõuenientius, quoniam tum ppter obscuritatem noctis, tum propter palpebras, quæ non poterant descendere subitò & repente post deciliationem, cum diu steterint eleuatæ, non poterit videre manifestè nec faciem hominis, nec cætera circumstantia vnde timere possit, sed videbit ea sub quadam caligine, vt consueuerat, & assecurabit se paulatim ad videndum ea. Nocte igitur deciliabitur cõuenienter, tamen decet adesse lumen quando deciliabitur, vt videatur quomodo deciliandus est. Quando verò debet deciliari, fiet hoc modo: capiatur falco, & teneatur cum ambabus manibus, sicut fiebat quando ciliabatur, & tunc dissoluatur nodus fili, aut ipsum filum scindatur, & totaliter ab vtraq; palpebra remoueatur, remoto autem filo totaliter, falcone sic deciliato, statim remoueatur lu-

R 2

men

lumen, quousq; positus sit ad standum iterum super manum, ad hoc autem remouetur lumen, ne statim cum deciliatus est repente videat unde timere possit, & diuerberare se, aut aliter inquietare, tunc enim cum per detentionem & per deciliationem cōturbatus fuerit, & ad suam agrestitatem quodammodo redierit, facile posset timere & inquietare se ad repentinū visum hominis & aliorum. Falcone verò posito ad standum super manum, statim proferantur ei soni consueti proferri quando comedebat, & detur sibi id quod reseruatū erat de suo pastu, vel tantum de alijs bonis carnibus, & quando videbitur quod comederit libenter, poterit reaprari lumen, sed non tam clarum vt prius fuit, in domo paulatim namq; augmentandum lumen est, vt paulatim assecurēt se ipsum ad visionem manifestam hominis & aliarū rerum, quæ sunt in domo, lumen autem conuenienter esse potest in domo per noctem, vbi falco deciliatus est, vt per claritatem nocturnam discernat, & quoquo modo videat domum, & ea quæ sunt in ea, per visionem enim nocturnam, quam habebit circa hæc, veniente mane, facilius recordabitur visorum in nocte, & si non vidisset ea de nocte, non esset tantum assuetus ad eadem in crastinum, imo potius recordaretur eorum quæ viderat dum esset siluester in campis, ante scilicet quam captus esset & ciliatus, quoniam illa longo tempore vidit, & traderet obliuioni ea quæ parum vidisset, Noctē autem qua deciliatus est, falconarius debet vigilare plus alijs nocti-

noctibus præteritis, tenendo & deportando ipsum per domum huc & illuc, priusquam ponatur ad quiescendum per noctem in sede sua, ut quemadmodum palpebræ paulatim descenderent, sic falco gradatim & paulatim assuescat videre faciem hominis & cætera quæ sunt in domo, & non repente videat diurna, & vigilatio proderit ad continuandam visionem nocturnam falconis visioni diurnæ ipsius circa ea quæ sunt in domo. Et si contingat quod dum tenetur & deportatur per domum nocte, propter timorem quem habebit de aliquo viso, se velit diuerberare, aut aliter inquietare, falconarius percipiens hoc, proferat sonos cõsuetos inuitando ipsum ad id, quod vocamus tiratorium, & detur ei tiratorium, ut attendens sonis, & gustans de tiratorio brancet manum strictius, & obliuiscatur causæ timoris: oblita verò causa timoris, & ipso eodem iam nolente se inquietare, auferatur ab eo tiratorium, ut non fastidiat se de ipso. Et his omnibus factis per ordinem circa ipsum deciliatum cum vigilijs nocturnis, ponendus erit ad quiescendum per noctem in sede sua usque mane, & tunc ante diem erit resumendus de sede super manum. Sed cum id quod dicitur tiratorium in mansuefactione falconis magnam utilitatem gerat, præcipue in illa quæ fit sine capello, nullum enim aliud est, quod possit esse medium faciens falconem diligere falconarium nisi hoc, videamus quid est tiratorium, quot modis est, & ad quæ est utile. Est enim tiratorium quodcumque membrum auis, aut alterius animalis dan-

dum falconi ad mordicandum in eo, ne inquietet se falco propter timorem, aut aliam causam. Et est duplex tiratorium, vnū carnosum, quod debet esse recens, & de bonis carnibus, vt de coxa, ala, collo, vel alio membro quocunq; galinæ, aut alterius auis, aut de carne alicuius quadrupedis conuenientis: si enim erit de bonis carnibus, falco libentius & auidius mordicabit, & gustabit de ipso, & saporando, dulcedinem & bonitatem carniū affectabit & assuescet, & per hoc dimittet voluntatem inquietandi se. Aliud est non carnosum, quod debet esse ossuosum & neruosum, & munitū plumis aut pennis, quod datur falconi, potius ad impediendum falconē circa ipsum, & ad deplumandum in ipso, potius quàm ad gustandum vel comedendum, & ad purgandum caput malis humoribus, vt patebit in tractatu morborum. Est autē tiratorium vtile ad multa, videlicet ad faciendum velle obliuisci & dimittere suas inquietationes, & diligere magis hominem, & assuescieri cum ipso, & ad sustinendum videre insueta sibi, & ad multa alia quæ patent in mansuefaciendo. Falconarius itaq; habeat semper tiratorium in manu in qua non porrat falconem, vel secum in carneria sua, aut in alio loco à quo possit haberi cito, & nō ostendat tiratorium falconi nisi quoties viderit esse opus: Cū autem videtur esse opus, dari debet tiratoriū hoc modo: inuitabitur prius cum sonis cognitis & consuetis ad tiratorium, nec debet aspicere ad faciem falconis dum est in sua agrestitate, nec antequam det tiratorium,

nec

nec quando dat: Dando autem, cum alia manu ponet ipsum ante pedes falconis, retinendo ipsum cum vna manu, vel cum duab⁹, vt fiebat in pascendo falconem. Postquã autẽ datum erit tiratoriũ, & ipse erit attentus in gustando aliquid de tiratorio, poterit falconarius aspicere ad ipsum, vt videat quæ erunt facienda circa ipsum, & facere illa, dum gustabit tiratorium. Dimittendũ autem erit tiratorium falconi, quousque causa timoris transeat, & eam obliuiscatur, tunc enim auferendum erit ab eo, nec permittendũ erit, quod se fatiet de tiratorio, quoniam alia vice postea, si opus esset tiratorio, nollet ipsum. Assuefacere autem falconem ad vsum tiratorij prodest, in hoc, quod quoties videbit aliquam causam timoris, poterit remoueri ab eo ille timor per tiratorium, & si nõ haberet vsum tiratorij cum adesset aliqua causa timoris, non dimitteret per tiratorium suas inquietationes, & si male accideret sibi ex inquietationib⁹ suis, alia vice minus libenter aut nullo modo vellet tiratorium, quod esset valde contrarium mansuefactioni suæ, cum non posset haberi aliquid aliud, per quod falco posset in duci ad desinendum velle se inquietare, excepto capello, de quo suo loco dicitur. In dando autem tiratorium, aut antequam detur, aut postquam datum est, proderit si remoueatur causa illa, de qua timet falco, aut propter quam se vult inquietare: nam si non remoueretur, accidere posset, etiam dum gustat tiratoriũ, quod ex nimio timore dimitteret tiratorium, & assu-

meret hoc in vsum, quotiens timeret, vel ex toto nolle, vel dimittere ipsum, & sic difficilius posset mansuescieri. Hæc de tiratorio dicta sufficiant. Item dando carnes falconi, aut tiratorium, porrigantur ei ab alto, & prope faciem dantis, vt assuescat ad faciem hominis. Noctæ etiam illa qua primò deciliatus est, non est permittendus falco stare super sedem suam vsque ad lumen diei sequentis, sed falconaris surgat ante diem & tollat falconem de sede sua, & resumat super manum ante diem; visio enim falconis nocturna per hoc continuabitur visioni diurnæ, & quantò plus descendent palpebræ & lumen diei adueniet, ipse falco tantò amplius assuecabit se, ad videndum hominem & cætera, propter hoc etiam tunc non portandus ad lumen diei clarum subitò, sed per domum non claram portetur, in qua domo lumen diei proportionaliter respondeat lumini noctis, quod fiebat cum lucerna, & paulatim augmentetur lumen diei, non repente de obscuro in clarum, ideo secundum quod falco erit magis agrestis, per minus claram domum deportandus erit, & secundum quod minus agrestis, per magis claram. Sed quoniam falco qui nouiter deciliatus est, veniente claritate diei manifestè videt faciem hominis portantis ipsum, & alia quæ sunt in domo, euidentius discernit, quoniam palpebræ iam descenderunt, & naturam habet dimouendi se in die & quiescendi in nocte, accidit vt in die longè magis inquietet se, & diuerberet quàm in nocte, videt enim clarè insuetata sibi

ta sibi & horribilia, de quibus timet, & à quib⁹ naturaliter appetit fugere.

CAPITVLVM LVI.

De diuerberationibus ipsorum, & de diuerberationum modis.

Diximus prius differentiam quam facimus inter inquietare & diuerberare, & modos inquietationum, & quid sit faciendum contra inquietationes: restat vt dicamus nunc de diuerberationibus falconis, quas acrius & periculosius & pluribus modis falco deciliatus facit, quàm ciliatus aut semideciliatus faceret. Has autē facit omnis falco aliquando in domo super manū, & aliquando super perticam aut sedile, & aliquando super manū equestris. In dicendo autē de ipsis, dicemus prius omnes modos diuerberationum, & quæ deteriores sunt, & quomodo assuefit falco ad minus malas, & quomodo retrahitur ad manum de iam factis, causasq; dicemus ppter quas diuerberat se falco, & signa vniuscuiusq; causæ, & quomodo subueniri potest diuerberationib⁹ suis priusquam fiunt, aut eisdem postquam iam factæ sunt, nisi enim prohiberetur à suis diuerberationibus, tantùm defatigaret se & debilitaret, & pennas suas deustaret, quod inutilis fieret ad faciendum ea quæ post mansuetationem volumus ipsum facere. Diuerberare verò dicimus esse, quando falco ligatus, de manu vel de sede sua conatur recedere ad volandum, hoc facit pluries in domo

R 5

super

super manum deciliatus, dum scilicet durat agrestitas & immansuetudo sua. Modi autem diuerberationum super manum sunt tales: falco stans super manum, & videns quare se debeat diuerberare, diuerberat se quandoq; versus faciem hominis portantis ipsum, & talis sua diuerberatio est ad sursum, cum intendit transire super caput hominis, & hanc diuerberationem raro facit in principio agrestitatis suæ, quoniam timet tunc faciem, sed eam facit sæpius quando assuefactus est ad faciem; quandoque verò diuerberat se in longitudine brachij versus humerum; quandoq; diuerberat se recedendo à facie portantis in longitudine manus, extra manum scilicet. Et hæc diuerberatio tribus modis esse potest, in sursum scil. aut deorsum, aut inter vtrumque: quandoq; verò diuerberat se de manu super quam est, versus aliam, aut de sinistra versus dextram, aut è conuerso, hoc autem est de vno latere falconarij ad aliud, & est tribus modis, in sursum, in deorsum, & inter vtrumq;. Quandoq; verò diuerberat se falco ad posteriora manus, & hoc similiter tribus modis in sursum, deorsum & inter vtrumque. Hi sunt omnes modi diuerberationum quas facere poterit falco super manum. Sed quoniam horum quidam sunt deteriores alijs, videndū est quis modus diuerberandi minus malus est cæteris, vt cum non possit omninò prohiberi falco à diuerberatione, assuefiat & doceatur saltem ad minus malam diuerberationem. Prima itaque diuerberatio, quæ est versus faciem falconarij,

| minus

minus est mala cæteris, quoniam est ad altum, & ex ea retrahitur falco facilius & citius ad manum; cùm enim falco ponderosus sit, & omne ponderosum quando est in alto naturaliter petit deorsum, facilius descendit falco ad manum quæ substat sibi, amplius, ex hac diuerberatione ad altum, non potest falco habere læsionem in persona aut pennis, neq; multam defatigationem. Diuerberatio verò quæ est de vno latere ad aliud, siue de vna manu versus aliam, peior est quàm prædicta, in eo quod potest esse pluribus modis quàm prædicta, & in eo quod si falco consuetus esset solum portari super vnam manum, quando transmutaretur ad aliam manum, illam diuerberationem quam consuevit facere ad aliud latus, faceret ad posteriora manus, super quam mutatus est, & esset difficilior ad retrahendum super manum, reuerso enim modo, & per maiorem circuitum oportet ipsum redire; sed in eo, quod manus ipsa portans ex ea diuerberatione retrahet falconem ad standum super se, & facilius & citius, minus mala est cæteris. Diuerberatio etiam illa quæ est per longitudinem brachij versus humerum, in eo mala est, quod cauda falconis alliditur manui, in loco scilicet in quo digitus index replicatur super pollicem, ex quo nocet caudæ, falco enim in hac diuerberatione, submittit sibi facile caudam suam, & quando retrahitur ad standum super manum, & quando diuerberat se, vnde cauda intercepta inter manum & falconem de facili læditur. Diuerberatio autem quæ est per longi-

DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

longitudinem manus ad extrinseca, mala est in eo, quod pluribus modis fieri potest, & in eo, quod falconē oportet facere quendam circuitum & quandam regyrationem sui, ad hoc vt redeat, ab interiori enim parte manus in quacunq; diuerberatione retrahendus est ad standum super manum, quemadmodū stare debet super eam & conuenit. Illa verò diuerberatio, quæ est ad posteriora manus, in eo quod pluribus modis est, mala est, & in eo, quod falconem oportet facere maiorem circuitum & regyrationem sui, ad hoc quod redeat ab anteriori parte manus ad standum super eam, quemadmodū stare debet super manum & conuenit. Maior autē circuitus & maior regyratio, pro eo quod maius spatium obtinet, maius tempus requirit antequam falco retrahi possit ad standum super manum, eo modo quo debet, & ex hoc ipso mala est, quod tardius retrahitur falco ad sedem manus, falconarius enim quàm citius potest, retrahere debet falconem, de quacunq; diuerberatione, ad standum super manū. Quando enim tardat reducere falconem ad manum, falco pendet, & quantò plus pendet plus nocet ei: Inde est quod hæc diuerberatio quæ est ad posteriora manus, peior est omnibus. De modis verò diuerberationum tribus, vno sursum, alio deorsum, alio inter vtrumque, ad quamcunq; partem manus sūt, ille modus qui est sursum, minus malus est alijs duobus, in eo quod ab alto facilius retrahitur falco super manum. Ille verò qui est deorsum peior est alijs duobus

duobus, quoniam falco pendet, & cùm grauis sit, & grauia naturaliter tendant deorsum, & per violentiam sursum, laboriosius & difficilius est retrahere falconem de tali diuerberatione ad superiora manus, vt stet super manū sicut debet. Ille verò modus qui est inter vtrumque, minus malus est illo qui est deorsum, cùm falco non pendeat sicut in illo, & cum possit facilius retrahi ad manum quam in illo, sed deterior est illo, qui est sursum, & cùm sit inter minùs malum & peiorem, nō est tam malus vt peior, nec est tam laudabilis vt minùs malus. Ex prædictis patet, quod diuerberatio falconis ad posteriora manus, deterior est cæteris, vnde illa quæ in eandē partem manus fit deorsum, peior est peioribus. Cùm autem falco qui vi detentus est super manum, aut super sedem suam, nō dispossit stare, quin se diuerberet, præcipuè dum durat eius immāsuetudo, expedit vt saltem ad meliorem diuerberationem assuefiat, erit enim iuuamentum hoc in eo, quod à deterioribus abstinebit, & in hoc quod ad minus malam assuefiat, quæ est diuerberare sursum, assuetus enim diuerberare sursum non læditur tantum. Assuefit autem ad diuerberationem versus faciem hominis scil. falconarij, multipliciter: vno modo, vt quoties falconarius vult quod falco mordicet seu abbeccet, ostendat ei carnes ab alto ante faciem falconarij, vt falco conuolet desiderio comedendi, & se diuerberet ad altum, vbi sint carnes: alio modo, vt quoties volet falconarius ponere falconem ad sedendum super

perti-

270 DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

pertricam altam, ponat tergum suum à parte pertricæ, inter pertricam scilicet & falconem, & replicet manum suam, in qua portat falconem ad anterius pectoris, tantum quod falco videns pertricam & affectans volare in eam, diuerberet se illic: sic enim assuescet diuerberare se versus faciem falconarij. Hoc autem modo faciet falconarius, si pertrica erit altior capite suo: si verò non erit altior capite suo, humiliet se falconarius tantum, quod pertrica supersit capiti suo. Ex hoc assuescet diuerberare ad altum, & videre faciem hominis. Hoc autem faciat falconarius frequenter in die, non tamen toties, quod cedat ad superfluum laborem falconis. Alio autem modo docebitur falco diuerberare se versus faciem hominis. Quando enim falco stans super manum in domo, aspicit ad fenestras domus, & ad cætera loca domus luminosa, falconarius vertat dorsum suum ad illa loca, ex hoc namque accidet, quod se diuerberabit ad illa loca ad faciem hominis, & sursum se diuerberabit, in quo assuescet meliorem diuerberationem. In istis verò tribus modis falconis diuerberantis se, falconarius consentiat falconi, cum manu sua sequendo ipsum, nam si rigidam tenet manum, noceret renibus & coxis falconis. Alio modo docetur etiam falco diuerberare se ad altum, hoc modo: si plures sunt fenestræ in domo, obturentur omnes præter vnam, & illa vna sit opposita pertricæ vel sedi, quibus alligandus est falco, & sit illa fenestra altior quàm pertrica vel sedes. Statuenda est ergo vel sedes in tali loco
domus

domus, quod opponatur lumini alto, sic enim falco perticæ alligatus seu sedi, capite suo existente versus illud lumen, desiderans exire ad aërem liberum, libentius se diuerberabit ad illud lumen, & esto quod se non diuerberet, stabit erectus super pedes suos, sic enim faciendo falco dimittet alias diuerberationes malas, & affuescet bonas, vnde istæ diuerberationes bonæ quas affuescet, vertentur per consuetudinem in quandam naturam, & ex hac consuetudine amabit diuerberare se ad altum. In cæteris suis omnibus diuerberationibus, huiusmodi diuerberare minus est nocium ei. Quando verò diuerberat se in longitudine brachij versus humerum, falconarius sic plicet brachium, & manum ad faciem suam sic vertat, quod oporteat falconem vertere se versus faciem, & tunc retrahendus erit citò ad manum super quam stabat, quemadmodum quando diuerberabat se versus faciem. Et quando diuerberat se per longitudinem manus, extra manum, falconarius vertat se, & manum suam retrahat taliter, quod per gyramentum suum falconem oporteat esse versus aliud latus falconarij, & tunc citò retrahat falconem ad manum, quemadmodum in diuerberatione fit quæ est de vno latere ad aliud. Si autem falco se diuerberat versus aliud latus, vt minus noceat ei, falconarius debet assentire falconi cum manu, portano ipsum, quam manum lassam & assentientem falconi teneat, non rigidam, quod etiam prodest in omni diuerberatione, postea debet retrahere manum eandem
suavi-

suauiter & citò, in loco in quo primò erat dum portabat falconem, & si falco diuerberauerit se ad altum, faciet hoc modo: assentiet cum manu, & post retinebit eam, quoniam in retrahendo falcone falco descendet facilius. Sed si diuerberauerit se falco inter sursum & deorsum, oportebit vt declinet manum: nam falco conuenientius retrahetur ad manum si suberit pedibus suis; & si diuerberauerit se in deorsum, primò consentiet ei cum manu, & deinde aliquantulum eleuet manum, vt cum adiutorio ipsius manus subleuantis & attrahentis falconem, melius & altius se releuet, & postquam se releuauerit, humilietur in tantū manus, quòd subit falconi, falco enim rediens ad sursum, ad deorsum conuenientius semper redit super manum. Quod autem dictum est, de consentiendo falconi cum manu, & de submittendo manum eandem, de eleuando vbi expedit, & de retrahendo falconem, falconarius sine mora faciet, & quam citius poterit, mora enim in talibus trahit ad se periculum. Contra illud verò quod dictum erat, si consuetus esset portari in vna manu & altera, iuuat assuescere portare falconem super vtramq; manum, quoniam ad discet facere diuerberationes de vtraq; manu ad aliud latus, & non ad posteriora manus. Quando verò falco diuerberabit se ad posteriora manus, oportebit falconarium gyrare se tantum, & manum suam, quod falco veniat ad retractionem sui super manum, eo modo & ea dispositione, sicut quando se diuerberat de manu ad aliud latus,

tus,

tus, retrahendo falconem ad manum sicut retrahendus est. Iam igitur dicti sunt modi diuerberationum, quas facit falco super manum in domo, & qui minus mali sunt, & qui deteriores, & quomodo assuescit falco ad minus malas, & quomodo retrahi debet ad manum de vnaqua; diuerberatione.

CAPITVLVM LVII.

De diuerberationum causis.

CAusæ verò propter quas falco nouiter deciliatus diuerberat se super manum in domo, ad quod diuerberare inducitur propter agressitatem suam, sunt multæ: alix enim causæ sunt propter falconarium portantem ipsum, & propter ea quæ videt in ipso. Alix verò propter multa alia quæ videt, & non sunt in falconario, vnde cum necessariò habeat diuerberare & aliter inquietare se, propter hominem portantem ipsum, pro eo quod impossibile est ipsum non esse cum ipso, cum mansuefiat ab eo, sed propter alia non habeat necessariò diuerberare se, cum falconarius possit procurare, quod aliqua non approximent falconi, oportet vt dicamus primò de illis quas facit propter hominem, & propter ea quæ sunt in homine: cum enim falco erit assuetus in illis, facile poterit postea per hominẽ mansuefieri ad alia, & nimis esset difficile mansuefacere ipsum simul ad omnes causas diuerberationis. Has verò diuerberationes dicendas, intelligere oportet in falcone capto syluestri seu ramagio, quoniam plures sunt & periculosiores

Iosiores in ramagio: in nidasio vero pauca sunt,
 & minus periculosa, si tamé nidasius faciat ali-
 quas diuerberationes, subuenitur ei quomodo
 & ramagio. Falco itaq; captus agrestis seu rama-
 gius, ppter agrestitatem suam, & ppter timoré
 qué habet, statim quod deciliatus est, præsertim
 veniente lumine diei, videt in homine multa
 propter quæ inquietat se & diuerberat, & cona-
 tur diffugere. De his autem est, tota persona
 hominis portantis & tenentis ipsum, quam nõ
 consuevit manifestè videre, & multò magis fa-
 cies hominis, quæ facies namque humana ter-
 ribilis est falconibus sicut & alijs animalibus,
 vnde illud: facies hominis facies leonis, pro-
 pterea deciliatus recordatur illius téporis quo
 captus fuit syluester ab homine, qui tunc vi-
 dens faciem hominis perterritus fuit ex ea, pro-
 pter hoc ad faciem hominis magis timet, tan-
 quam insuetam sibi & horridam: de persona
 verò hominis magis timent & inquietant se illi
 falcones quorū ciliatura non paulatim, sed re-
 pente remouetur simul totaliter, & longè ma-
 gis illi falcones, qui sine ciliatura penitus & si-
 ne capello mansuescunt, quem modum iam re-
 probauimus. Rursus de his quæ in homine vi-
 det sunt motus manuum, ad tangendum falco-
 nem in aliqua parte sui, & alius motus manuum,
 qui fit non ad tangendum falconem, sicut ille
 gestus manuum, qui à quibusdam consuevit fi-
 eri loquendo aut indicando, aut alia circa ho-
 minem faciendo, & motus totius personæ ad
 sedendum vel inclinandum, vel surgendum,
 vel

vel gyrandum dextrorsum sinistrorsum, vel ad eundum, & tulsire, & sternutare contra falconem, & ambulare duriter cum strepitu pedum, sunt de causis in homine, propter quas falco super manum in domo, circa principium deciliationis diuerberat aut aliter inquietat se.

CAPITVLVM LVIII.

De diuerberationum signis.

Signa autem per quæ discernere poterit falconarius vnamquamq; causam per se similiter, hæc sunt: Quando falco aperit rostrum, extrahit linguam cum quodam sonitu & sufflatu, plumas quæ sunt circa fauces in ceruice, collo, alijsq; partibus corporis horripilat, & aliquando proijcit voces timorosas, & aperit alas, & caudam, & respiciendo faciem hominis & personam, quærit diffugere, & hoc modo se diuerberat, quod stans desuper manum, deijcit se de manu retrorsum, & cum reducitur ad manum, quærit iterum diffugere retrorsum. Aliquando etiam se diuerberat isto alio modo, & deijcit se extra manum & per longum manus, & tunc sciri potest, quod non hoc facit nisi propter personam hominis, & magis ppter faciem, à quibus tanquam agrestis & timidus diffugere conatur. Propter motus verò manus, quando videbit ipsam, aperit rostrum, & facit cætera quæ faciebat propter faciem hominis, quamuis non tam fortia, & eo modo diuerberat se, sicut propter faciem. Sed quando tangitur à manu in aliqua

liqua parte sui, & non prœuidet motum manus tangentis ipsum, si plumas tenuerit lassas, defringet eas ad se, & si constrictas ad se tenuerit, magis constringet eas, & subleuat alas, & respicit manum tangentem ipsum, qua visa, stans super manum vt debet, diuerberat se ad fugiendum, vnde venit tactus, timens tam de motu manus quàm de tactu. Motus autem si adfuerit repentinus in tota persona falconarij, aut si tussierit aut sternutauerit contra falconem, aut ambulatio dura & cum strepitu adfuerit in falconario, accidit quod falco attendit ad faciendum aliqua de signis prædictis, sed statim eo modo quo stat super manum diuerberat se ad fugiendum de manu. Quando tamen tussit aut sternutatur contra falconem, statim retrorsum, aut per longum manus se diuerberat, non enim contra causas aduenientes, sed ab eis fugiendo recedit.

CAPITVLVM LIX.

De occurrendo inquietationibus & diuerbationibus.

Dicitur causis, modis & signis diuerbationum, quas falco facit in primo deciliationis, propter ea quæ videt in hominè, de quibus timet: dicatur quomodo debeat occurrere sibi contra huiusmodi inquietationes & diuerbationes, priusquam fiunt, & impediri ne fiant, & quomodo debet subueniri falconi postquam factæ sunt, vt non iterum faciat, neq; facere audeat. Cum igitur falconarius cognoscat per signa

signa dicta, quod falco propter personam hominis & maxime propter faciem, velit se diuerberare, aliquo modo diuerberationum dictarū, causam timoris amoueat primitus si poterit, hoc enim est quod attendi debet in hac causa & in omnibus alijs. Deinde deueniendū erit ad id quod per causam illam accidit in falcone, vnde in tali causa auertat falconarius faciem suam à falcone quantum potest, & auersa facie proferat sonos falconi, consuetos proferri sibi in comestione sua, & si falco per hoc deferret voluntatem quam habet inquietandi se, nō offeratur ei tiratorium, alioquin detur tiratorium, vt supra docuimus, & auferatur ab eo secundum modum prædictum; vt etiam assuescat desinere timere propter hominem, & propter faciem hominis, proderit distribuere cibum in plures vices, & dare sibi multoties abbeccationes, siue de pastu, siue de tiratorio carnofo: nam in expectatione cibi à falconario, & desiderio ipsius cibi, & in receptione ipsius cibi sæpe sæpius iterata, personā falconarij & faciem minus timebit, & hoc potius confert falconi qui potest deciliatus manifestè videre. Falconarius verò, dum est in principio deciliationis, & quàm diu durat agrestitas, & in mansuetuendo falconem, non opponat neq; ostendat faciem suam faciei falconis, & si opus erit aspiciere falconem pro aliqua causa, inclinato capite, vel auerso & obliquo oculo aspiciendum erit ad pedes falconis, & non ad faciem, & retrahendo manum cum falcone ab aspectu falconarij, fal-

conatius teneat quandoq; galerum super caput suum, & quandoq; remoueat, vt falco assuescat videre ipsum cū galero & sine pileo; sed quando falconarius per dicta signa cognoscet quod falco propter motus manum vult se inquietare, & de manu aufugere, non faciet aliquem motum manuum loquendo, neq; demonstrando aliquid, sed si expediat facere, sit omnis motus manuum suavis, non repentinus, neque tangat falconem dum est in sua agrestitate, & in principio deciliationis, & si oportuit quod tangatur cum manu, causa situandi plumas, aut pennas, aut pedes super manum, aut causa faciendi circa ipsum aliqua alia, non fiat hoc priusquam proferantur ei voces inuitatorix ad escam, & quam positum sit tiratorium in pedibus eius, & quam gustet de tiratorio, & hoc facto, suauiter ducatur manus ad tangendum falconem, tunc quando falco non respicit versus manum, & si contingat quod videat manum extentam ad ipsum, nō vltra protendatur manus ad tangendum, nec retrahatur, ne propter manus motum falco se inquietet aut diuerberet, sed quando falco respicit ad aliam partem, manus ducatur ad ipsum, vt deciliatus nouiter paulatim assuescat, & motum manus, & se tangi à manu, & desinat volūtatē quam habuit diuerberandi. Et quando per motus repentinus in tota persona aut in membris, timeretur ne se diuerberet, postquam faciet aliquid de signis prædictis, falconarius non faciat hos motus, & si indigebit facere, prius opponat tiratorium in pedibus falco-

falconis, & prius gustet falco de ipso, quàm faciat aliquid de motibus quibus indiget, & tunc suauiter moueat se ad sedendum, ad inclinandum ad surgendum, ad gyrandum se dextrorsum vel sinistrorsum, & ad eundem, & ad tussendum, & sternutandum, si tamen improuise veniat tussis aut sternutatio, ita quod non possit dari prius tiratorium, non tussiat aut sternutat contra falconem, sed quantò suauius poterit & minus repente, retrahat manum portantem falconem & auertat caput suum à falcone quando tussiet aut sternutabit. Sic ergò poterit præseruari falco à diuerberationibus illis, ne fiant, quas parabat facere falco propter hominem & faciem eius, & alia quæ sunt in homine. Et si cōtingat quòd falco sine voluntate diuerberandi vertat se super manum, in aliam partem quàm in qua stare debet & conuenit vt stet, falconarius non tangat ipsum cum manu sua ad faciendum ipsum reuerti, sed ipse de se vertat in illam partem, ad quam se diuertit falco, & eo modo faciat gyramentum suum, quod si portat falconem super dextram, pectus falconis in complemento gyramenti inueniatur versus sinistram, & è conuerso, & hoc faciat vt defendatur à diuerberatione quam posset facere post manum, fit etiam hoc modo: proferantur soni consueti ad escam, & porrigatur tiratorium, vertet se, & stabit vt debet super manum, hoc modo mansuescit falco, & assæfit ad nõ inquietandum se aut diuerberandum, neque propter falconarium portantem ipsum, neque propter ea,

quæ videt in falconario, de quib⁹ propter agrestitatem suam timebat, & pro eisdem inquietabat aut diuerberabat seipsum. Postquam verò falconarius mansuefecerit falconem deciliatum, & assuefecerit ad ea quæ sunt in ipso eodem falconario portante falconem, propter quæ falco diuerberabat se, & inquietabat super manum in domo, potest melius & facilius assuefacere falconem ad reliquas causas quæ non sunt in homine, propter quas falco nouiter deciliatus diuerberat & inquietat se super manum in domo: Hæ autem sunt subitus & improuisus aduentus alterius hominis, canum, aut aliorum animalium domesticorum, ab anteriori parte ad falconem, & multò magis à posteriori & à tergo falconis, de his namq; omnib⁹ falco cum sit agrestis & nouiter deciliatus, timet. Signa verò per quæ discernitur quòd se inquietat & se diuerberat per causas dictas, quando veniunt ab anteriori parte, sunt hæc: falco si prius percipit hæc quàm homo portans ipsum, sæpe sæpitis respicit, & infigit intuitum in rem aduenientem, & applanat caput, dum remota est, & quando appropinquat ei, declinat caput, horripilat plumas capitis, colli, & personæ & quantò plus appropinquat causa timoris, tantò amplius facit hæc signa, deinde diuertendo caput suum hinc inde quærit quo diffugiat, & diuerberat se retrorsum. Sed quando causæ dictæ veniunt à tergo falconis, quas prius percipit falco quàm homo portans ipsum, cum voluat caput suum frequenter antè, retrò dextrorsum, sinistrorsum,

strorsum, facit hæc signa, vertit faciem suam dextrorsum sinistrorsum, & retrorsum, vt videat rem aduenientem de qua timet, applanat plumas capitis, grossescunt oculi & prominent, extendit collum suum & graciliat, destringit ad se plumas suas, erigit se super pedes suos, diuerberat se antè, & de manu deiicit, querens fugere à re post veniente. Falconarius itaq; quando cognouerit per signa quæ sunt in falcone, aut per circumspèctionem suam, rem aduenientem antè, statim proferat sonos consuetos falconi, & apponat tiratorium pedib⁹ eius, vt attendat tiratorio, & non rei aduenienti, & dum falco attentus erit tiratorio, ipse falconarius procuret, quod res illa non veniat, si potest, & non vadat ad ipsam rem, aut saltem sic recedat in partem aliquam, quod res illa transeat, quantò remotius poterit à visu falconis. Et quando aliquæ de eisdem rebus cognoscuntur per signa dicta, quod à posteriori veniant, statim falconarius voluat caput suum ad posterius, & cognoscat quæ sit illa causa, qua visa, proferat sonos, & inuitet falconem ad tiratorium vt attendat ipsi & gustet de ipso, & dum falco gustabit, falconarius procuret, si potest, quod res nō veniat, alioquin diuertat se quam citius poterit à re illa postuenienti, & eo modo secedat, & cedat rei, quod si portauerit falconem super dextram manum, res veniens transeat à sinistra, & si super sinistram, res transeat à dextra, minus enim malum est quod res transeat ante faciem falconis, & minus inde pauescet falco, quam si

transiret à tergo falconis, & statim quod res transierit, auferatur tiratorium à falcone, & abscondatur in loco debito.

REX.

Et si in hoc, quod superius dictum est, videlicet quod minus malum esset si res transiret ante faciem falconis quàm retrò, opponatur hoc modo, cum superius dictum sit, quod peior diuerberatio quæ fieri potest est retrorsum, & quæ fit antè minus mala est, videtur quod minus malum esset, si res transiret retrò quàm antè, cum ex transitu posteriori falco diuerberaret se antè, & ex transitu anteriori, falco diuerberaret se retrorsum? Respondendū quod hac de causa minus malum est, si res transit ante faciem falconis quàm retrò; et si falco diuerberet se retrorsum ex transitu anteriori, falconarius paulatim retrahendo manū assentit sibi ad fugiendum à re de qua timet, & reuocato falcone ad sedendum super manum, persona falconarij opponit se visui falconis & rei de qua timet, & sic falco quia non videt rem de qua timuit & expauit, moratur quietè super manum, & non habet materiam iterandi diuerberationem, si verò falco se diuerberat antè ex transitu posteriori, oportet falconariū volendo reducere falconem ad sedendum super manum suam, retrahet ipsum ad illam partem, vnde vidit rem de qua timuit & expauit, & sic licet reducatur ad sedendum super manum, tamen quia credit, quod res de qua timuit sit in illo loco vbi prius illam vidit, cum nō possit post ipsum plenè videre,

dere, si de loco ipso recessit, aut non iteratò diuerberat & inquietat se. Diuerberationibus verò, postquam fecerit eas falco, propter aliquam de causis dictis, sic subueniendū est, si falco neq; per sonos consuetos ad escam, neq; per tiratorium dimiserit quin se deiciat de manu retrorsum timore faciei, falconarius auertat faciem suam & retrahat manum citò, & vertat se sic q; falco possit redire super manum vt prius stabat, non vt retrahendo falconem ad manum: nam per hos retractus subitos & coactos læderetur, & ex hoc fieret agrestior, & postquam redierit ad manum, ipse non respiciendo ad falconem directā facie, det sibi tiratorium cum alia manu suauiter & non repente, posset enim inquietare falco se ex ipso motu manus, & esset hic error nouissimus peior priore. Illis etiam diuerberationibus quas facit propter motum manus, siue fiat ad tangendum, siue non, cum similes sint prædictis, subueniendum est sicut prædictis, & sine mora retrahendus est falco suauiter, vt in prædictis. Illis verò quæ fiunt ppter motus qui sunt totius corporis & personæ, & propter tussire & sternutare, cum se deiciat de manu aduersus partem illam ad quam aspicit, diffugere enim nititur eo modo quo stat super manum, vnde si stabit alio modo super manum quàm debet, diuerberabit se aliter quàm ad anteriorem partem manus, & difficilius erit retrahere ipsum vt dictum est, si verò stabit sicut stare debet, in suis diuerberationibus, non erit tam difficile retrahere ipsum ad manum, nec tam tardiosum

20. DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

diolum falconi, cum non sit opus falconarium se vertere ad retrahendū falconem, solū enim cum manu retrahendo ipsum vertitur ad manum. Si verò propter hominem aduenientem vel canem, vel aliud animal deiecerit se retrorsum, reducendus est ad manum, sicut dictū est: Et si propter hominem vel aliam rem aduenientem à tergo, deiciet se ad longum manus vel antè vt stat, reducendus erit vt docuimus. Ad causas igitur quæ sunt in homine & ad causas quæ sunt extra hominem, de quibus timet falco deciliatus, & se diuerberat super manū in domo, debet falco assuefieri successiue & paulatim per aliquot dies, prius in domo non clara, quousq; signa agrestitatis remissa sint in eo, & non pauescat neq; se diuerberet ad illas causas, sed quietè sustineat videre eas, & stare cum eis; deinde poterit falco commutari ad domum aliquantulum claram, & deinde ad domum clariorem, assuefaciendo ipsum falconem deciliatum magis ac magis, ad plura & diuersa, quæ consueuerunt esse cum hominibus in domo, dandum est sibi tiratorium in domo clara, tantò saepius, quantò per claritatem magis discernit causas vnde timere potest, quousq; assuetus sit eis, in hac enim assuefactione quæ fit ciliato falconi & semideciliato, & totaliter deciliato sic paulatim, sic successiue sic sufficienter & gradatim procedat falconarius in mutatione quæ fit de domo non clara ad claram, & clariorem, & in omnibus alijs mutationibus & operibus faciendis circa ipsum, quod ppter festinantiam & in-

& insufficientiam affnefactionis, non sit opus
 reducere falconem insufficienter mansuetum
 de clara domo ad non claram, de deciliatura ad
 ciliaturam, & similiter de alijs, nam hic modus
 in mansuefaciendo non sequeretur ordinem,
 sed falco fieret exinde vitiosus, & malorū mo-
 rum & inutilis. Amplius, præter causas diuer-
 berationū quæ dictæ sunt, est & alia causa, quam
 dicemus nunc. Cùm enim omnes falcones tam
 mansueti quàm immansueti, tædio standi super
 manum cupiant recedere de manu, & ire ad se-
 dendum, qui si non permittantur ire, inquieta-
 bunt se & diuerberabunt se: illi tamen qui ma-
 lè portati sunt, & per longum iter, affectant ma-
 gis recedere de manu, ad quiescendum super al-
 iam sedem, & faciunt magis signa ad hoc quàm
 ceteri falcones. Signa itaq; quæ facit falco vo-
 lens recedere de manu sunt hæc: falco circa serò
 plus quàm alijs horis diuerberat se, ad hoc quo-
 niam eadem hora naturaliter ibat ad sedendū
 super ramos vel alia loca alta & tuta, ideo serò
 respicit circùm circà vt videat locum in quo se-
 dere & quiescere possit, si est in domo locus
 aptus ad sedendum, quo viso, ad ipsum se diuer-
 berat, & si est foris similiter, & si non ponatur
 ad sedendum, faciet diuerberationes multas,
 proinde nociuas sibi. His autem diuerberatio-
 nibus falconarius sic subueniet, si viderit signa
 prædicta, deponet falconem de manu, ad seden-
 dum in loco conuenienti, si verò nolet ipsum
 ponere ad sedendum, dabit ipsi tiratorium, vt
 intentus eo desinat voluntatē quam habet in-
 quie-

quietandi se aut diuerberandi, & vt placēat falconi stare super manum amore tiratorij, præterea recedat falconarius à loco illo in quo est ne falco videat locum conuenientem sēsioni suæ, & propter hoc cessabit inquietatio falconis volentis ire ad sedendum.

CAPITVLVM LX.

De deciliatis falconibus qualiter ponantur ad sedendum ad perticam, & leuentur ab ea, & inquietationibus & læsuris eis contingentibus in ipsa.

REX.

CUm non contineretur in hoc libro, qualiter falco deciliatus poni debeat ad sedendum in pertica, & leuari ab ea, & de diuerberationibus & læsuris quæ possent in ea contingere: sed esset in margine eius scriptū, quod addi deberet præsens capitulum, tanquam necessarium prælibatis documentis de falconibus editis, prout melius expedire vidimus, duximus inferendum; vnde si falconarius volet ipsum ponere ad sedendum, ponet eum hoc modo: Locabit enim ipsum in pertica alta, situata & posita prout superius est expressum, & locus in quo ponitur ad sedendum, non sit clarus nimium vel obscurus, sed in tantum quod falconarius quæ facturus est circa eum plene videat, & discernat, & diligenter attendat ne aliquod foramen siue fenestra opponatur falconi ex transuerso perticæ, quia si se diuerberaret ad illam, illa

illa diuerberatio periculo esset ei. Si verò in longum opponitur, diuerberatio ad eam si qua contingeret sibi, nō fuerit tam nociua, eo quod quando se diuerberat in longum, alæ eius vadunt ex vna & altera parte perticæ, & sic à pertica non læduntur, & nullo modo in longum perticæ diuerberare se poterit, quando diuerberat se in sursum, quia deorsum non potest se diuerberare, nam pertica obstat ei, nec in directū, quia ipsum subleuari oportet. Diuerberatio verò ex transuerso perticæ periculosa est, quia quando se diuerberat ex transuerso, alæ tangunt ex utroq; latere perticam, ex illo tactu falco de facili incurrere poterit læsionem pennarum: Et si alæ excederent latera perticæ quod non tangantur ab ea, & se diuerberabit in reditu quem faciet super perticam, propter retentionē iactorum nō assentientium sibi, alæ quæ remanerent extra latera perticæ, læderentur in ea, & posset de facili, cū se diuerberat ex transuerso perticæ, peccius in extremitate eius percutere, cū pertica lata esse debeat vno pede tantum, & sic in grauem incurreret læsionem. Et hæc inter diuerberationum species quæ accidere possunt, omnibus speciebus diuerberationum periculosior est. Appropinquabit autē falconarius perticæ, & apponet tiratorium lapidum falconi, inuitando ipsum semper consuetis sonis circa illud, mediando personam suam inter perticam & falconem, ne falco videns perticam diuerberet se ad eam, priusquam falconarius ad ipsam perueniat, vt est dictum, ad quam accedat
tergi-

tergiuersus, quia si aliter accederet, non posset congruè se opponere falconi & perticæ, & cum fuerit sufficienter vicinus perticæ, & falco erit intentus circa tiratorium, accipiet longius caput longæ cum manu non tenente falconem, suauiter quantum poterit super perticam, cum falcone intendente ad tiratorium, & accipiat cautè dictum caput longæ, & iterum iactabit ipsum & inuoluet circa perticam, quo facto subtrahet sagaciter tiratorium falconi, & accipiat leniter ambo capita longæ cum manu tenente falconem, & demùm seducet ita manum à pedibus falconis suauiter, vt falco se inueniat super perticam motu subtractionis manus aliquatenus non turbatus, quibus subtractis ligabit ea sicut dictum est in capitulis de ligandis falconibus ad perticam altam. Et caueat falconarius vt dum præmissa omnia faciat, non respiciat falconem in faciem, sed hæc faciat capite inclinato, semper proferendo sibi sonos consuetos, quibus ad tiratorium inuitatur, à quo recedat sine aliquo strepitu, & inspectione in faciem ipsius, vt falco licet positus est in pertica, tranquillus remaneat & quietus, non tamen ita longè discedat ab eo quod si falconem aliquo modo inquietari contigerit, ipsi non valeat celeriter subuenire. Sic igitur attentus falconarius & diligenter inspicat si falco prætetendat signa aliqua diuerberandi se, quia possibile esset quod falco haberet voluntatem diuerberandi se aut causa famis quam pateretur, & vellet sibi cibum acquirere, vt consueuerat tempore libertatis, aut opposi-
 tione

tione alicuius foraminis aut fenestraz, per quod euadere intenderet, aut quod aliquid in domo videret quod esset sibi timori, vt murilegos siue canes & huiusmodi, aut aliquid quod prædari vellet, vt murem & similia, aut quia voluntatē volandi haberet eo quod diu non volauerit. Quòd autem falco se diuerberare velit causa famis, falconarius sic cognoscet: quia tunc falco deambulabit per perticam, respiciet circùm circa, suauiter alas aperiet, nec violenter diuerberabit se, & hæc diuerberatio minus periculosa est alijs quas faciet super perticam: Si vero oppositione foraminis seu fenestraz, falco dirigeret & cōtinuabit intuitum ad fenestram, & semper se reuoluet ad illam, ex quacumque parte sit perticæ, & motus & contractus faciet ad volandum & exeundum per eam, diuerberando se versus fenestram. Si causa alicuius rei visæ quam timeat, signa diuerberandi se faciet, quæ consuevit facere stando super manum quotiens terrebatur, vt superius dictum est. Nam diuertet caput à re sibi terribili, & nititur effugere id quod timet. Si causa prædæ quam videat, figet aspectum suum versus illam partem, in qua aspicit dictam prædam, & cum subita apertione alarū vno eodemque motu se diuerberat versus prædam. Præter hos quatuor modos diuerberationum quas facit falco super perticam, contingit eum inquietari in ea sine diuerberatione, circuiendo nodos iactorum supra perticam, & hoc facit sæpius causa famis, aut beccat iactos & campanellam, aut quia sentit se ligatū, & vellet

T

soluere

ſoluere vincula vt volaret & euaderet, aut quia
 ipſum taderet campanellæ pariter & iaſtorum, &
 aliquando facit hæc omnia cauſa famis. Et ſi
 falco volet ſe diuerberare oppoſitione forami-
 nis ſeu fenestræ, vt dictum eſt, per clauſuram
 ipſorum remediatur eidem, & dum fenestram
 clauſerit falconarius, ſe falconi opponat vt fe-
 nestram non videat, proferens ſibi conſuetos ſo-
 nos, quibus alienetur falco ab intentione quam
 habet ad fenestram. Si verò cauſa timoris rei a-
 licuius quam viderit, attendat falconarius quæ
 cauſa ſit vnde timuerit, inter quam rem & fal-
 conem ſtatim falconarius ſe opponat, vt eam
 videre non poſſit, ſonos allicientes eidem pro-
 ferat, & rem de qua timuit expelli faciat inte-
 rim, quod falco & propter ſonos ſibi prolatos,
 & propter aſpectum quem amiſit rei prædictæ,
 ab illo quem habuit pauore quieſcat. Et ſi cauſa
 prædæ, ſimiliter faciat falconarius, quouſq; fal-
 co quiete priſtina potiatur. Et ſi forte falco his
 remedijs à diuerberationibus huiusmodi reſi-
 piſcere noluerit, tunc cognoscere poterit falco-
 narius quod falco voluntate volandi faciat, eò
 quòd diu non volauerit, quare ipſum, ſicut di-
 cetur inferius, ſubleuet, & recipiet ſuper manū.
 Si verò falco quietus manſerit ſuper perticam
 nec ſe diuerberauerit, dimittat ipſum quieſcere
 vſque ad horam congruam, qua leuandus & re-
 cipiendus eſt ſuper manū. Et quoniam ex præ-
 dictis diuerberationib⁹ & inquietationib⁹, poſ-
 ſet falco incurrere tam perſonæ periculū, quam
 pennarum, & ob eſſet etiam manſuefactioni, fal-
 conarius

conarius sicut superius dictum est, non debet à falcone tam longè absistere, quin sibi valeat si necesse fuerit, infra scriptis remedijs subuenire, Nam si falconarius viderit quod falco se velit in aliqua specie prædictarum diuerberare, consuetos sonos eidem proferat, & si propter consuetos sonos quos sibi protulerit quieuerit, falconarius remaneat, & falconem permittat quiescere, sed non tantum, quod propter nimiam quietem & moram quam traxerit sine falconario, aliquod vitium agrestitatis acquirat. Et si forte propter huiusmodi sonos falco non quieuerit, falconarius approximet perticæ opponendo se faciei falconis, suauiter prædictos sonos proferens, & si propter hoc ipsum quietari contingat eum, permittat quiescere, & recedat. Et si nondum propter ista quieuerit, ipsum leuet & recipiat super manum hoc modo: accipiat autem tiratorium in ea manu qua portare debet falconem, & elongata facie sua à facie falconis versus aliam manum, ponat manum, cum qua tenet tiratorium, ante falconem super perticam, ostendendo sibi tiratorium, sic aperte quod falco ipsum plenè videat & discernat, & manum ante falconem teneat valde firmam, proferendo sibi jugiter assuetum sonum, quousque falco tiratorium capiat, cum becco aut cum pedibus, quod si cum becco ceperit, teneat tiratorium ita firmum, quod sibi de manu non possit surripere, & ita etiam firmet manum, & ipse immobilis maneat, quod falco se assecuret pedes ponere super manum, & cum receperit ti-

ratorium cum pedibus, approximabit aliam manū suauiter, & dissoluat nodum factum sub pertica, & antequam longæ capita derelinquat, accipiet cum manu tenente falconem, iactos si poterit, & si fortè non poterit, tenendo curtum caput longæ, dissoluat longum caput longæ à pertica, & habitis ambobus capitibus longæ, trahat manum in qua non tenet falconem, versus nodum iactorum & longæ, & iactos capiat prope nodum, & aptet sibi iactos in manu, sicut dictum est, & subleuet manum à pertica cum falcone sine strepitu, & trahat retrosum manū, ita quod pertica remaneat ante pectus falconis, sic quod si falco se velit diuerberare ad redeundum in perticam, se ante diuerberet & non retrò. Et falconarius quàm citius poterit, mediet personam suam inter perticam & falconem, & in eadem mediatione recedat, quousq; in tantum distet à pertica, quod falco occasione visæ perticæ non habeat materiam se diuerberandi ad eam, & deinde poterit tutò subtrahere ratorium à pedibus falconis. Cautus sit tamen falconarius, quod in mutando falconem deciliatum de domo parùm clara ad claram, & de clara ad clatiorem, formam & regulam traditam de mutatione falconum deciliatorum seruet & teneat, sic gradatim hoc faciendo, quod falco se assicuret & assuescat manere in domo clara.

CAPL

CAPITVLVM LXI.

De mansuetatione falconum decillato-
rum facienda super manū in domo,
& sine capello.

Mansuetatio facienda falconi super ma-
num in domo à principio suæ decillatio-
nis per aliquos dies, debet fieri secundum mo-
dum quem diximus; approximante verò tem-
pore in quo portari debet foràs ad aërem libe-
rum, quia videbit multa quæ videre non con-
suevit in domo, & apertius per claritatem ipsius
aëris, & sentiens se esse sub aëre libero facile re-
cordabitur agrestitatis pristinae, & quia habebit
illic multò plus occasionem inquietandi se,
quàm in domo, oportet per aliquot dies distrin-
gere ipsum, & ad maiorem famem conducere
priusquàm portetur foràs, vt ad maiorem famem
conductus, tantò libentius foris accipiat tira-
torium, quantò magis erit necesse per causas
prædictas. Consideranda tamen erunt in di-
stringendo ipsum agrestitas falconis, macies, &
aviditas comedendi maior vel minor, illum
enim falconem qui magis avidus erit, minus de-
bemus distringere: illum vero qui minus aui-
dus, magis; & si aviditas tanta erit quod su-
peret agrestitatem, quod cognoscatur in eo, &
pro agrestitate, vel cum aliqua causa vnde ti-
mere debeat adfuerit, non desinet tiratorium,
tanta erit aviditas sua, poterimus ipsum minus
distringere: sed si agrestitas vincat aviditatem,
cuius signum erit, quod non erit tanta auidi-
tas ad

tas ad tiratorium quin se inquietet, si adfu-
erit aliqua causa vnde debeat timere, magis
erit distringendus, & minus macer, minus, &
nimis agrestis magis.

CAPITVLVM LXII.

De mansuefactione falconum facienda à
pedite, super manum foris in aëre li-
bero, & inquietationibus & diuer-
berationibus quas facit in eo.

CVm itaq; mansuefactus erit sufficienter in
domo, & ad maiorem famem conductus,
vt dictum est, portari debet foras ad aërem li-
berum, primò à pedite, deinde ab equite, vt ad
ea quæ sunt extra domum mansuefiat, fiet autè
hoc modo; falconarius habito tempore con-
uenienti, de quo docetur in sequenti capitulo,
surgat ante diem, & resumet falconem de sede
super manum suam, exhibitq; de domo dum erit
adhuc obscurum noctis, vt quemadmodū pau-
latim & nō subito lumen diei adueniet, sic ipse
falco paulatim affecuret se ad videndum ea quæ
sunt extra domum, sub quadam caligine prius,
deinde manifestè, demùm manifestius, propter
hoc etiam iuuat & melius est, si falconarius in-
cipiat portare extra domum foras falconem se-
mideciliatum, & portet ipsum sic per aliquot
dies, deinde deciliatum portabit foras pedester,
attendens & faciens quæ sequuntur.

CAPI-

CAPITVLVM LXIII.

Qualiter intrandum est, & exeundum per portas cum falcone.

AD exeundum autem de domo foras, tempus nubilum aut pluuiosum, pluuiā pauca quæ descendat vt ros, conuenientius est, quoniā in tali tempore non poterit falco videre nimis manifestè ea quæ foris erunt, & pennæ & plumæ madefient, & sic minus timebit, & minus attentabit diuerberare se, cum se sentiet madefactū, & à tali etiam tempore reddetur piger, sicut & cætera animalia. Sed quoniam in exeundo de domo foras, falconario portanti falconē transitus est per portam, & de facili posset malum accidere falconi, maximè si se diuerberaret illic, dicamus quomodo transeundum est cum falcone per portam, vt nō noceat falconi. Quoties igitur falconarius cum falcone debet transire per portam, intrando vel exeundo cum vocibus consuetis ad escam, apponat prius tiratorium in pedibus falconis, & quando falco intendet mordicare tiratorium, ipse latus suum in quo non est falco intromittat prius in portam, longando à porta & à se, manum super quam est falco, & capite suo intromisso similiter in portam, prospiciat circiter loca illa ad que vult transire, si sit illic aliquid insuetum falconi, vnde timere possit, & ne falco ex illo timeat, faciat id elongari, vel ex toto remoueri, si potest. Illo verò remoto vel saltem elongato, transeat per portam, & deinde tiratorium auferat, hoc

T. 4

autem

autem faciendum est quousque videbitur esse opus, quamdiu scilicet timebitur de agrestitate falconis.

CAPITVLVM LXIV.

Ad quæ loca deforis prius portandus est

Postquam autem exierit portam falconarius, ipse vadat ad loca in quibus nulla erit multitudo rerum insuetarum falconi, & si foris erit aliquis paries, vnde non possit transire quis, illuc vadat, & vertat se sic quod teneat dorsum falconis versus parietem, & tantum appropinquet parieti vel illi loco, quod nihil de insuetis transire possit à tergo falconis, inter parietem & falconem, vel inter locum & falconem, & si videt aliqua venire insueta de quibus timere possit falco, non vadat ad illa falconarius, sed procuret quod illa non veniant, si potest, aut quod transeant longè ante falconem, & si illa debent venire aut transire ante falconem, priusquam illa appropinquent, proferat falconi voces consuetas ad escam, & det tiratorium falconi, vt falco per tiratorium desinat timorè quem habet, & multò magis est faciendum hoc, si res transire debeat à tergo falconis. De portet etiam falco huc & illuc paulatim ad diuersa loca deforis, vt diuersitatem locorum & animalium assuescat videre paulatim. Amplius, si in portando falconem foras aduenerit aliquis ventorum, de quibus in succedenti capitulo plura dicuntur, falconarius sic gyret se, quod personam suam

LIBER SECVNDVS.

suam ponat inter ventum & falconem, cauens ne ventus vnquam veniat à tergo falconis, quoniam falco veniente sibi vento à tergo, non staret quietus super manum, sed se multipliciter diuerberaret.

CAPITVLVM LXV.

Quando reportandus de foris intrò.

EX quo autem aliquandiu steterit de foris, & iam lumen diei inualefcet, & homines & animalia in maiori multitudine iam incipient ire hùc & illùc, redeundum erit cum falcone foris intrò, vt ad interiora & exteriora domus, & ad intrandum & exeundum assuescat.

CAPITVLVM LXVI.

Reportandus de foris intrò, acrius inquietat & diuerberat se.

CUm autem falco portatus fuerit de foris, vidit plura quæ videre non consueuerat in domo, & vidit ea manifestius, & dum fuit sub aère libero, recordatus est libertatis quam habuit, dum erat per se in campis, & agrestitas ipsius nondum plenè transierat, maxime si ipse erat de agrestioribus, propter hoc habuit plures causas de foris diuerberandi se, & quomodocumq; aliter inquietandi & fortiores causas, ideo cum maiori voluntate diuerberat se de foris, frequentioribus & acrioribus diuerberationibus quàm in domo, priusquam portaretur foras ad aërem liberum: reportatus etiam de

foris intrò, recordatur se fuisse foris; & agrestior proinde factus est, & affectat redire ad aërem liberum, & cum maiori voluntate se diuerberat & inquietat ad exeundum foras, & signum huiusmodi est; quoniam postquam reportatus est ad domum frequenter respicit ad fenestras, & loca lucentia domus, inquietat & diuerberat se versus illa loca, & diuerbationes acriores, vehementiores, & frequentius quam priusquam portatus fuisset foras, & acrius, quamuis in omnibus fere eisdem modis diuerbationum & inquietationum dum est agrestis & reportatus in domum, quos faciebat in domo, priusquam portatus esset foras, propter enim agrestitatem maximè faciebat omnes illos modos: sed propter faciem hominis, & propter ea quæ erant in domo, cum sit mansuetus ad ea non facit diuerbationes aut inquietationes, sed illas diuerbationes quas facit foris ad diffugiendum, & illas quas facit in domo deportatus, pro voluntate quam habet ad exeundum foras, acriores & vehementiores & frequentiores facit.

CAPITVLVM LXVII.

De remedijs, & modis remediorum, scilicet tiratorio, irroratione & balneo, quæ fiunt contra inquietationes & diuerbationes ipsorum.

Oportet itaque vt mansuefaciamus falconem ad hoc, vt frequentix & vehementix suarum inquietationum & diuerbationum, tam

tam faciendarum quam factarum succurramus, & dicamus quomodo debet fieri, non enim est toties dandum sibi tiratorium carneum, quoties vult se diuerberare aut inquietare: nam si daretur toties, impinguaretur nimis, & non detineretur in illa macie, ad quam destringi debet & detineri. Et si non daretur sibi tiratorium, & inquietaret se quoties appetit, multum esset nociuum plumis, membris suis, suisq; viribus. Sed hoc modo faciendum erit: quando volet se inquietare, quod cognoscitur per aliqua de signis quæ diximus, dabitur sibi cum vocibus consuetis ad escam tiratorium, de aliquo membro plumoso, vt deplumet ipsum, aut de membro ossuoso & neruoso, vbi non possint inueniri carnes.

CAPITVLVM LXVIII.

De irroratione.

ET si fortè per huiusmodi tiratorium non dimittet diuerberationes aut inquietationes suas, pro eo quod viderit se pluries deceptum in tali tiratorio, aspergatur falco aqua frigida, & madefiant pennæ ipsius. Fiat autem hæc irroratio hoc modo: Falconarius lauabit ter vel quater aqua frigida, vt omnis viscositas saliuæ & phlegmatis existentis in ore suo remoueat, & aqua frigidior exire possit ab ore, si namque non sic fieret, viscositas saliuæ & phlegmatis exiret cum aqua, quando irroraretur falco, & adhereret pennis & plumis falconis, vnde fierent inuiscatæ & sordidæ, & aqua exiret calidior

200: DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

dior ab ore, quæ duo non essent conuenientia. Postquam autem os erit ablutum, implebitur aqua frigida cum sufflatu & impulsione labiorum, de illa aqua eiecta, in minutas particulas, pluribus impulsionebus irrorabitur falco, supra dorsum, & antepectus, eleuatisque alis sursum, irrorabuntur latera quæ sunt prope cor, & tantum irrorentur, quod pennæ & plumæ madidæ fiant, sic namq; cessabit vsque ad horam à voluntate quam habebit diuerberandi se, & si ex toto cessabit, non erit iteranda irroratio: si verò propter primam nõ cessat se inquietare, poterit irrorari secundò & tertio, si opus erit. Debet autem huiusmodi irroratio fieri falconẽ in loco obscuro, quãndiu durabit eius agrestitas. Iuuamentum autem harum irrorationũ multiplex est: nam per irrorationes falco dimittit voluntatẽ quam habet inquietandi se, & etiam suas inquietationes, ex eo enim quod irroratio madefacit plumas & pennas, efficit falconẽ pigriorem, quãndiu falco sentit pennas suas madefactas, non confidit iuari per eas, vnde stat magis quietus neq; attentat dimouere eas, neq; volare ad diffugiendum, sentit enim se pigrum & impotentem volare, expectando quousque pennæ sint desiccatae. Et signum huius est, quia madefactus alas candam, & plumas totius personæ segregat, & excutit se sæpius, vt aqua per excusionem cadat citiùs, & exiccentur plumæ. Iuuamentum autem in hoc est, quod falco refrigeratur per irrorationem, vnde in æstate, & quando calescit, quaque dieta sæpius potest fieri hęc

hæc irroratio. Et quia pennæ desiccantur citius, potest fieri pluries, & hoc etiã iuuat, quod per irrorationem parçitur tiratorio. Est itaque falco mansuefaciendus hoc modo, in casibus prædictis, & quando irrorandus vt dictum est, & quando dandum erit sibi tiratorium nõ carnosum, & quando tiratorium carnosum, vt per ipsum carnosum alliciatur ad non carnosum: De carnosum autem parùm accipiat, ne excedat debitam quantitatem sui pastus. Prodest etiam ad alia irroratio, sicut dicitur in singulis capitulis de falcone irrorando. Præterea cùm eodem ferè modos diuerberationum & inquietationum quarumcunq; faciat de foris super manum, & intra domum, postquã reportatus est de foris, quos faciebat in domo priusquam portaretur foras, præseruandus erit à faciendis, & succurrendum factis, eo modo quo dictum est in illis quæ fiebant in domo, & tanto studiosius & pluribus modis alijs, quanto aciores & frequentiores facere volebat aut faciebat. Vnde istud addendum est, in reductione falconis ad sedendum super manum, quod quando erit de foris, & diuerberabit se post manum, considerandum erit an sit ventus an non, & si non erit ventus, reducendus erit ad sedendũ super manum, ex illa parte vnde minor sibi est circuitus, si verò ventus erit, falconarius vertat se quàm citius poterit, & manum suam in quamcunq; partem aptiorem contra ventum, vndecumq; veniat ventus, hoc modo scil. quod opponat cergum suum vento, quod si falco qui iam per huius

huiusmodi versiones ante pectus falconarij se inuenit, nec ventus iam venit ad ipsum à tergo, possit retrahi ad manum, sicut retrahebatur in diuerberatione, quæ erat de vna manu versus aliam, facilius enim reducetur hoc modo, cum omnes aues semper habeant vsum insidendi & sedendi contra ventum.

CAPITVLVM LXIX.

De balneo.

Balneum est etiam vna de causis, quæ multum valet contra huiusmodi inquietationes & diuerberationes falconis, ad mansuefaciendum ipsum, & assuefaciendum ipsum cum homine: propter hoc dicendum est de balneo pro falconibus. Cum itaq; falcones, sicut & cæteræ aues rapaces sint siccioris naturæ & calidioris quàm cæteræ aues non rapaces, assuescunt balneare se, quando per se sunt, & immansueti, quibus, si non balnearent se, acciderent plures morbi de nimia siccitate, vt dicemus in tractatu de morbis, ideo & nos debemus necessariò offerre balneum falconibus, non solum dum mansuescunt, sed quàm diu homo habet ipsos. Fiet autem hoc modo: habeatur tina vna lignea, vel terrea, cuius diameter sit ad minus duorum pedum secundum longitudinem, & sit alta tantum quod contineat aquam vsq; ad locum ouariæ falconis, & plus aut minus, secundum quantitatem altitudinis tibiæ & coxarum falconis balneandi. Aqua verò debet esse frigida clara & dulcis, quæ nullam habeat in se
malam

mālam qualitatem, & vas nullam habeat ventositatem, quoniam attraheretur ventositas illa per aquam fluendo ad pennas & plumas falconis, & sic noceret. Hæc autem tina locanda erit in loco domus expedito, aut in horto, aut campo extra, ad quē locum canes aut porci vel alia animalia non veniant, neque incutiant timorem falconi. Tempus autem in quo inuitandus est ad balneum, in æstate est magis conueniens; in hyeme etiam & in alijs temporibus potest balnari, sed in æstate priusquam calor solis intensus sit, in hyeme verò quando iam calor solis incipit ascendere, nam si tardius balnaretur, præcipuè extra domum, timeretur de aquilis, vulturibus, milionibus, & alijs auibus magnis rapacibus, quæ illa hora volant per ærem: Et propter hoc falconem agrestem balneabimus conuenienter in domo. Sed tam in hyeme quam in æstate, & in alijs temporibus, balneabitur postquam iam comederit, debet tamē dari sibi minus de cibo, quàm alijs diebus in quibus non debet balnari. Si verò falco erit macer, & timetur quod paucitas cibi addat sibi ad maciem, postquam balneatus erit & digesserit cibum prius sibi datum, poterit sibi dari de cibo circa serò tantum, scilicet quod ex hoc quod dabitur, & ex illo qui ante balneum datus fuit sit vnus pastus sufficiens. Non nitem erit balneandus singulis diebus, sed intermissis aliquot diebus inuitandus est ad balneum. Falconibus verò agrestibus, quādo iam deciliati sunt, magis conueniens est balneum, & etiam postquam
man-

204 DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

mansueti sunt, etiam quando relaxata est ciliarura adhiberi potest balneum, etiam ciliatis, vnde si quis facere voluerit, ab eo tempore quod ciliati sunt, incipere potest assuefacere falconē ipsum ad balneandum. Hic est autem modus permittendi ipsum balneari; si falco erit agrestis, ponatur sessorium vel lapis iuxta marginem tinæ balneatoriz, & ligetur ad sessorium: Si verò sessorium non habuerit, sed lapidem, figatur cauilla vna seu passillus in terra iuxta lapidem, & ad illum passillum ligetur longa, & tunc ponatur falco desuper sessorium vel lapidem ad sedendum, & teneat capellum, si mansuefit cum capello, longa sit autem tantæ longitudinis, quod intrare possit balneum falco, & non possit pertransire tinam, & postquā positus fuerit falco ad sedendum, si est de illis qui mansuefiunt cum capello, leuabitur capellum, & recedet ille qui leuabit capellum à falcone, stans tantum à remotis, quod falco dum se balneabit, non possit timere de ipso, tamen videat falconem dum se balneabit, si verò est de nouiter deciliatis qui mansuefiunt sine capello, similiter deponendus erit iuxta balneum, vt se balneet si voluerit, & non stabit falconarius cum ipso quando falco agrestis se balneabit. Postquam verò balneatus erit falco agrestis, & exierit de balneo, redeat ille falconarius ad falconem hoc modo, ambulabit in circuitu.

REX.

Dimittens falconem versus manum, ab illo latere manus cum qua leuaturus est falconem
remo

remouendo semper faciem suam ab aspectu falconis versus aliud latus, ex quo falco non est portandus, approximando ad ipsum paulatim, inuitans ipsum ad carnes, quas portabit ei in manu cum qua leuari debet, seu tiratorium, & subleuabit ipsum super manū sicut debet subleuari fessorio, & tenebitur super manum ad solem, donec se perungat, & quousq; exsiccantur pennæ, si solis non tædet eum, quia tunc in umbra deberet teneri. Perungere autē dicimus quando post balneum, aut etiam sine balneo, falco accipit cum rostro suo de pinguedine quā habet super dumos & caudam, vbi scil. sunt duo quasi testiculi, & modicum virgæ, & de sic accepta pinguedine, perungat cum rostro suo pennas & plumas suas & vngues suos ex utroq; latere. Istud autem perungere facit falco quoties balneatus est, & aliquando etiam quando non est balneatus. Si verò, quando falconarius redibit ad falconem balneatum, porrigendo sibi carnes, ipse voluerit gustare de carnibus, approximet ei quantum plus tolerare potest, ita quod non pauescat, de tali approximatione, & sedeat tunc non in oppositione faciei falconis, sed collateraliter, ex illo scil. latere vnde leuari debet falco, expectando quousq; pennæ exsiccatae fuerint, & tunc iterum presententur sibi carnes, & subleuetur super manum, & si non perungit se, teneatur super manum in umbra donec se perungat, si verò teneat alas apertas, & caudam & plumas & pennas apertas & segregatas, quod delectatur in sole signum est. Si verò

falco qui debet balnari ciliatus est, aut relaxata est ei ciliatura, manus super quam sedet approximetur balneo, & tunc percutiatur cum virgula vna lignea in aqua, sic quod falco audiat sonitum aquae, qui si appetit balnare, inclinabit personam suam ad aquam, & extendet rostrum suum versus aquam, & tunc manus quae sustinet falconem, approximetur aquae tantum, vt pedes eius sentiant aquam, & iterum moueatur aqua cum virga, audiens enim sonitum aquae, & affectans ire illuc, mutabit pedes suos desuper manum, & intrabit balneum, & postquam introiuerit balneum, retrahatur manus, & permittatur balnari, & nihilominus iterum iuxtetur ad balnationem, quandoque percutiendo aquam cum virgula. Postquam igitur balneatus erit & volet exire, quod cognoscetur ex eo, quod circumquaque mouebit se ad exeundum, accipiat longam cum alia manu & trahatur, sic approximando manum cum qua portari debet, quod iacti recipiantur in ipsa manu prope pedes suos, & sic tollatur super manum & teneatur ad solem, donec exierint pennae, & donec se perungat. Si vero noller se balnare, quod cognoscetur quia mouebit se ad aliam partem quam ad balneum, & inquietabit se, non balneetur, nec cogatur balnari, & alij falcones similiter non cogantur quando nolunt. Si vero falco qui debet balnari iam mansuetus est, ligabitur cum longa, sicut dictum est, aut tenebitur ipsa longa, & percutiatur aqua cum virgula, & permittetur balnari, & postquam

quam erit balneatus fiet ei sicut dictū est quod debet fieri alijs, statim enim sumatur super manum quousq; se perungat, & quousq; pennæ sint exsiccatæ. Iuuamentum autem est in balneo, qm̄ falco conseruatur inde sanior, & fit mansuetior, & si valet pl^o debito, refrigeratur per balneū, & multas inquietationes & diuerberationes dimittit falco per vsū balnei, quas non dimitteret nisi esset vsus balnei. In eo etiam quod tenetur super manum quousq; pennæ & plumæ sint desiccatae, & quousque se perungat, iuuamentum est non modicum ad mansuefactionem falconis. Balneatio itaq; & irroratio, & frequens exhibitio tiratorij carnosij & non carnosij, sunt de causis, quæ prohibent falconem tam frequenter diuerberare aut aliter inquietare se, qui falco assuescit portari foras à pedite, quibus diuerberationibus, quoties fecerit, falconarius subueniat quemadmodum subueniebat factis in domo. Cæterum in factis extra domū, quando regyrat se falconarius pedes ad reducendum falconem super manum, & in alijs etiam diuerberationibus, in quibus non conueniat ipsum regyrare, attendat quod in reducendo falconem super manum, quando ventus erit, ventū non recipiat à tergo falconis, sed semper ab anteriori parte, ventus enim veniens ab anteriori parte falconis, iuuat ipsum redire super manū. Amplius, falconarius pedes assuescere debet falconem extra domum ad minus malas diuerberationes, quanto plus poterit, & defendere ipsum omnino à magis malis, vt faciebat quando

assuescebat falco in domo. Causæ verò speciales propter quas se diuerberat aut inquietat falco extra domum, dicentur conuenientius in capitulo succedenti, quando falco assuescit portari foras ab equite. Qualiter autem ponitur ad sedendum, & super quam sedem, & qualiter ligatur ad perticam, aut soluatur de pertica, dictum est in præcedenti capitulo, quando deciliatus mansuescebat in domo. Hæc igitur omnia quæ diximus debere fieri falconi qui assuescit portari extra domum à pedite, fiant vsq; ad tot dies, quod falconarius cognoscat falconem iam bene assuetum & bene tolerantem portari foras à pedite.

CAPITVLVM LXX.

De mansuefactione falconum faciendâ foris ab equite, & temporibus aptis ipsi mansuefactioni.

Postquam omnia quæ diximus faciendâ in mansuefaciendo falconem, portando ipsum foras, à pedite facta erunt per aliquot dies, debet idem falco mansuescere ad eadem portandus foras ab equite, in quò obseruanda sunt prædicta, & præterea quæ tempora sunt apta ad hoc, & quæ non, quorum morum debet esse eques, quæ sunt necessaria habere falconarium secum, quem modum debet habere in ascendendo super equum, quæ loca debet cauere equitando, propter quas causas diuerberat aut fliter inquietat se falco, qui assuescit portari foras ab

ras ab equite, & quomodo subueniendum est diuerberationibus ipsis, quando redeundū est ad domum, & quomodo de equo descendendum cum falcone, dicendum est.

Quamuis autem non omnia tempora sint apta omnibus falconibus, sed diuersa diuersis, tempus tamen tranquillū & quietū sine vento, generaliter bonum est omnibus falconibus: sed si æstas est, melius est nubilum, quia minus calidum & tardius calefcit, falconibus etiam agrestibus & immansuetis, quanto magis nubilum, tantò melius est: nam tempus nubilum, pluuiosum non grossa pluuia sed minuta, sine vento, bonum est semper ad potrandum foras falcones nondum mansuefactos, tam ramagios quam nidafios, tempus namque tale madefacit pennas & plumas falconum, reddit ipsos pigros & desidēs, & quia pigriores efficiuntur per hoc tempus, & penna ipsorum ineptæ ex pluuia aduolandū, minus inquietabunt se, aut diuerberabunt se, quod satis est expediens ad mansuefaciendos falcones. Tempus pluuiosum, grandinosum, niuosum, ventosum ventis validis aut aliter malarum qualitatum, malum est; omnes tamen venti qui veniunt a tergo falconarij, quoniam falco ex persona falconarij defenditur ab illis, siue super dextram manum siue super sinistram portetur, minus mali sunt, anteponi namq; poterit manus portans falconem, ante pectus falconarij, & ob hoc ventus qui directe venit per medium dorsi falconarij, minus malus est alijs venientib⁹ à tergo. Omnes venti

venientes ab anteriori parte falconarij deterior
 res sunt, quoniam falco non potest habere ali-
 quam defensionem contra huiusmodi ventos
 vnde ille qui directè venit ad medium pectoris,
 deterior est exteris venientibus anterioribus. De
 omnibus venientibus à quouis latere falconarij
 ille qui appropinquabit magis ad anterioribus, pe-
 ior erit inter ipsos, & ille qui magis appropin-
 quabit ad posterioribus, minus malus erit inter eos.
 De huiusmodi autem temporibus dicitur ampli-
 us in capitulo de portando falcones de regi-
 one in regionem.

CAPITVLVM LXXI.

De equite qualis esse debeat, & quæ se-
 cum foras portare debeat.

Quis & qualis debet esse, & quorum mo-
 rum, dicitur plenè in tractatu de venatio-
 ne gitofalconis ad grues. Falconarium verò ne-
 cessarium est habere semper secum tiratorium
 non carnosum, & etiam carnosum, quod sit de
 illis carnibus quas falco libentius comedit, &
 melius digerit, de quibus dabit ad mordican-
 dum falconi quantum expedire videbit. Nos
 tamè non possumus dicere falconario, quæ car-
 nes sint appetibiliores falconi, pro eo quod non
 omnes falcones comedunt æquè libenter o-
 mnes carnes, quidam enim falconum come-
 dunt quasdam carnes libentius, quidam alias;
 consideret tamen hoc falconarius in hoc, & vi-
 deat quas carnes libentius comedit falco, & me-
 lius

Ius digessit, de diuersis carnibus quas diebus
 præferitis exhibuerat ei, illas secum portet, aut
 tiratorium de ipsis. Falconarius volens assuefa-
 cere falconem ad delationem super equum, pri-
 ma vice surgat ante diem, & capiat falconem de
 sede super manum suam quam volet, qui si vult
 ascendere super equum à parte sinistra equi,
 & sumpserit falconem super manum sinistram,
 transmittet falconem ad dextram manum, &
 sumens ipsum de sinistra, quemadmodum de
 sede ad manum assumpserat, postea det tirato-
 rium falconi, inuitans ipsum vocibus consue-
 tis ad mordicandum, deinde ponat pedem suū
 in staffa sellæ, accipiens arcum sellæ anteriorem
 cum manu sua sinistra, super quam iam non est
 falco, posteriorem autem cum dextra super quā
 est falco, & postea firmet se super staffam sellæ &
 ascendat, & antequā mittat crus suum dextrum
 ad aliam partem, remoueat dextram manum
 super quam est falco, de arcu sellæ, & sedeat su-
 per sellam. Hoc modo enim non lædetur falco
 in ascensu falconarij super equum, & multò
 minus se inquietabit ex tali modo ascensus, & si
 se inquietabit, minus periculum erit sibi. Si ve-
 rò falconarius assumpsit falconem de sede su-
 per manum dextram, & velit ascendere super
 equum à parte dextra equi, transmutet falconē
 ad manum suam sinistram, & faciat e conuerso;
 quando etiam transmutabit falconem de vna
 manu ad aliam, quatenus cum minori pericu-
 lo possit ascendere, vt diximus, oportet quan-
 do vent⁹ erit, quod caput equi opponatur ven-

to, & si non transmutat vt diximus, oportet quod cauda equi opponatur vento: nam his modis veniet ventus contra pectus falconis, quod autem ventus superueniat contra pectus falconis; dum ascendit super equum, melius est, minus namq; inquietat se falco, si ventus veniat ex oppposito ante ipsum, quod si falconarius aliter ascenderet super equum, verbi gratia, si cum manu cum qua portat falconem apprehenderet arcum anteriorem sellæ, aut collum aut comam equi, vt plures faciunt, ascendendo posset falco intercipi inter pectus falconarij, & arcum sellæ anteriorem, vel collum equi, aut falco per motum colli equi posset pavescere & se diuerberare aut aliter inquietare. Amplius, si falconarius teneret falconem super manum, & ita apprehenderet collum equi, aut arcum anteriorem sellæ, facies falconarij directè supponeretur faciei falconis, vnde magis timeret falco, & haberet maiorem materiam diuerberandi, & si falco diuerberaret se super collum equi, accidere posset, quod equus ex motu falconis timeret & fugeret, & ex hoc sequeretur maior inquietatio falconis, & falconarius facile posset cadere. Est ergo melius ascendere super equum cum falcone, eo modo quem diximus. Ad hoc autem datur tiratorium falconi, dum ascenditur super equum, quod falco qui agrestis est, & nondum assuetus equo, neq; ascensui falconarij in equum, facile diuerberaret se, si ascenderetur tiratorio non dato sibi. Est itaq; dictus modus, quem debet falconarius habere

habere in ascendendo cum falcone super equum, Amplius falconarius. postquam erit eques, cum falcone equitet suaviter, & ad loca de quibus minus possit timere falco, etenim falco qui novus est, ad motus equi & falconarij super equum posset de facili perterreri, ad ipsos scilicet motus equi duros & incognitos, & ad loca forinseca, & ea quæ sunt in eis. Loca verò ad quæ poterit equitare cum falcone, huiusmodi sunt, in quibus non sunt vallones, neq; sylva, neq; aqua multæ, neq; currus, neq; multitudo hominum, aut animalium aliorum, aut frutices, aut dumi, de quorum omnium sonitu, quando equitatur per ipsa, timet falco, de quibus omnibus iam dixerat plenius, scilicet in causis propter quas diuerberat aut inquietat se falco.

CAPITVLVM LXXII.

De portatione falconum non mansuefactorum de regione in regionem, horis, temporibus, & locis convenientibus ad portandum.

Dictum est quomodo mansuefiant falcones in domo & extra domum sine capello, quos non est opus portare de regione in regionem priusquam sint mansuefacti . . . quos opus est portare; falco namq; qui nouiter captus est & ciliatus, priusquam porterur de regione ad regionem, assuescat comedere, & cognoscere sonos inuitantes ad escam, & interim dum assuescit ad hæc, debet tractari huc & illuc, sæpius quam
 V 5 si non

314 DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

si non esset transferendus de regione ad regionem, quatenus minus se inquietet ad transportationem quæ fiet sibi. Cùm etiam omnes falcones, & plus qui capiuntur syluestres, capiuntur in æstate autumno & vere, vt dictum est supra, nam pauci ex incidenti capiuntur in hyeme; Si erit de illis qui capiuntur æstiuo tempore, debet portari per noctem, maximè in calidis regionibus, in nocturno enim tempore non possunt sentire splendorem aëris, quem splendorem in die sentiunt, quàmvis sint ciliati, & per noctem non audiunt éantus auium, quam animaliquas rapere consueuerunt, ad quas se inquietant, nec audiunt aliquid vnde timere debeant, & naturaliter falcones pigriores in nocte efficiuntur, & libentius quiescunt, sicut & ceteræ aues, & aër noctis minus calidus est, quàm aër diei; omnia enim quæ dicta sunt, si per diem portarentur, essent eis causæ inquietationum & diuerberationum, quare minus conuenienter & difficilior portarentur. Si tamen esset opus portare ipsos per diem, surgat falconarius summo diluculo, & portet falconem donec calor incipiat, & in calore permittat ipsum quiescere, & si oporteat ipsum portare dum calor erit, aspergatur frequenter cum ore aqua frigida, vt dictum est supra, quando etiam portabitur in calore diei, dabitur sibi pastus in via, & madefactus in aqua frigida, non dabitur rotus vna vice, sed distribuetur pluribus vicibus, vt defendatur ab inquietationibus & diuerberationibus suis: quod si totus pastus daretur eis vna vice, nocuum

tum esset digestioni eorum, propter motum qui fit in portando: madefactionem autē carniū in aqua frigida cōuenit fieri, pro eo quod omnes aues rapaces & falcones præcipuè, calidi sunt & sicci, vnde si in feruore æstatis per diem portarentur, cum agrestes sint, necessario inquietarent & diuerberarent se, & sic calefierent & desiccarentur magis, quapropter si darentur eis carnes non madefactæ in aqua frigida, adurerentur, & esset occasio morbi, propter hoc dantur eis carnes infrigidatæ & humectatæ in aqua frigida, ex eis enim sic preparatis, resilitur caliditati & siccitati acquisitæ per inquietationes. Hic ergo est modus portandi falcones qui capti sunt nouiter per æstatem; si autem erunt capti nouiter in autumno, & deportari debeant, quamuis tempus autumni minus sit calidum, quam tempus æstatis, conuenientius portabuntur per noctē propter plures causas ex his quas diximus. Si verò opus erit portare per diem autumni, faciat quæcumque diximus faciendā in diē æstatis, si viderit esse tempus. Si autem per hyemem portari debeant, portantur conuenientius per diem quàm per noctem, cum nox multò magis sit frigidior quàm dies, vbi non timeretur de inquietationibus suis quas facerent eò quod sentirent splendorem æris. Vnde eum magis timendum sit de inquietationibus diurnis, quàm de frigore nocturno; melius portabuntur de nocte hyemis, quàm per diem. Quando autem in nocte hyemis portari debebunt, non eligatur nox serena, nam serenum noctis in hye-

in hyeme consuevit esse frigidius, & maximè in frigidis regionibus. Et quando per diem portari debent, serena dies congrua est sine vento magis & nubilo, & nubilosa dies sine vento & frigore: quamuis enim claritas aëris nociua sit, propter id quod dictum est, tamen calor per splendorem solis intenditur, qui prodest falconi in hyeme, idcirco tantum vti magis debet titorio in hyeme quam æstate, cum hyeme non sint irrorandi, vnde & falconarius non sumo diluculo surgat in hyeme, sed orto jam sole. In regionibus autè frigidis, siue per diem, siue per noctem hyemis portare oporteat falconem, falconarius habeat chirothecas pilosas deforis in manibus, super quas sedeant falcones, per hoc enim habebunt pedes calidiores, & exinde totam personam, & minus lædètur à frigore. Quando etià capti sunt in vere, & portari debent de regione ad regionem, faciendum erit in omnibus ferè quemadmodum in autumno, ver enim æquale tempus est & autumnus, quamuis non tantum æqualis. Ex prædictis itaque sequitur, quod in omni tempore nox est conuentior ad portandum falcones de regione in regionem. Tempus verò hyemis, siue per diem siue per noctem portari debeant falcones, minus conueniens est exteris temporibus: nam per noctem est nimia frigiditas, & per diem inquietabunt se ad splendorem diei, nec potest subueniri eis ex aqua frigida, irrorando, multum enim infrigidantur, & asperitas temporum plus abundat in hyeme quam alijs temporibus. Æstate etiam minus conue-

conuenienter portantur quàm vere & autumno, nam si per diem æstatis portabuntur, intensus calor erit eis nociuus, si verò per noctem, & habeat facere longum iter, nõ poterit iter suum perficere priusquam superueniat calor diei sequentis, præcipuè in frigidis regionibus, in quibus noctes sunt multò breuiores quàm in calidis. In verè autè melius est quàm in autumno, pro eo quod veri subsequuntur dies meliorum qualitarum, quàm subsequuntur in autumno. Qualitates autem aëris magis conuenientes ad portandum falcones in die, sunt hæc: nebulosum tempus, nebula densa, & sine vento, conuenientius est, & tantò amplius quantò nebula densior est, tali namque tempore minus se inquietant & diuerberant, quoniã pigriores efficiuntur ex eo, & minus sentiunt de splendore diei, tempus nubilum, pluuiosum pluuia minuta, & sine vento, etiam in die bonum est, quoniam pennæ falconum madefiunt, & propter rationes prædictas etiam bonum est tempus nubilum, sine vento & non pluuiosum bonum est, quàmuis non tantum quantũ prædictum. Huiusmodi siquidem tempora prædictarum qualitarum, bona sunt & conuenientia, per ver æstatem & autumnum, & per hyemem etiam hæc eadem tempora conuenientia sunt, præterquam pluuiosum. Tempus grandinosum in omni tempore anni nociuum est, quoniam grandines percutiunt falcones, & raro accidunt grandines sine valido vento. Tempus pluuiosum pluuia grossa, pro eo quod cum semper sit ventosum, malum

malum est, & quoniã madefacit falconem plus debito. Tempus niuosum in autumno & vere minus malum est, grandinoso & pluuioso, si est sine vento. Si tamen hæc tempora mala incidant falconario equitanti, & viderit quod tempus transire citò debeat, recommendet se, vel ad arborem, vel ad alium locum, quousq; transeat, & si non, protegat & defendat falconem, cum persona sua & galero suo quanto melius poterit, approximando falconem pectori suo, & opponendo se inter falconem & malum tempus, & si deuenit ab anteriori, vertat tergum suum contra malum tempus, & quousq; pertranseat, si non habebit vbi se recommendet. Sed quia non potest esse, quin aliquando portetur in tempore ventoso, quod generaliter malum est, & vnus ventus peior est alio, oportet dicere quibus venti deteriores sint alijs. Omnes autem venti qui veniunt à tergo falconarij minus mali sunt cæteris, quoniam falco defenditur ab illis per oppositionem falconarij, siue super dextram siue super sinistram portetur falco, anteposenda enim est manus cum falcone pectori falconarij, & si superueniant grandines, vel pluuia grossa, nõ nocebunt ei, cum pertranseant dorsum falconis, pectore falconarij anteposita, non tangent falconem propter oppositionem personæ falconarij, & venientes à tergo debiliores fiunt, ex eo quod falconarius cedit eis in suo ingressu, inde est quod ille ventus qui venit per medium dorsum falconarij, minus malus est alijs venientibus à tergo. Omnes autem venti venien-

tes ab anteriori parte, deteriores sunt omnibus alijs, quoniam ex incessu falconarij contra huiusmodi ventos, fit eorum fortitudo maior ex alterutra percussione hominis ad ventum, & è conuerso, & quoniam falco non potest habere aliquam defensionem à falconario contra huiusmodi ventos, vnde ille ventus qui veniet ad medium pectoris, deterior est cæteris venientibus ab anteriori. De omnibus verò ventis venientibus à quouis laterum falconarij, ille qui magis appropinquabit venientibus à tergo falconarij, minùs malus erit inter collaterales. Còtra collaterales autem dextros, potest subueniri transmutando falconem ad sinistram, quatenus ventus non veniat à tergo falconis. Contra collaterales sinistros è conuerso, & ideo anteriores venti deteriores sunt collateralib⁹ & posterioribus, cùm neque possit subueniri per transmutationem falconis de manu in manum, neque ex oppositione personæ, cùm adueniat ex opposito ante hominem.

CAPITVLVM LXXIIL

De locis.

LOcorum etiam quædam sunt deteriora, alijs: in omni enim tempore per syluam melius est portare falconem; nam siue calor sit, siue frigus, siue ventus quicunq;, siue grandines, siue nives, siue pluuiæ, minus molestant falcones, dum portabuntur per syluam, & syluam dicimus quæ fit de arboribus altis. Loca plana sine vento bona sunt, cum vento verò meliora sunt

sunt valloſa loca planis; quoniam ventus minus poteſt in conuallibus: colles verò & alta loca, tempore vëtoſo deteriora ſunt, pro eo quod venti perſtant alta magis, nemoroſa & fruticoſa loca mala ſunt, propter ſonum quem faciunt rami ex greſſibus equorum, & non poſſunt defendere falconem à vento & pluvia, neque à calore, neq; ab alijs: nemora dicimus de minoribus arboribus. Aquoſa verò loca mala ſunt propter ſonitum aquæ, præcipuè cum falcones timeant aquam. Per ciuitates & villas non eſſet malum, niſi timeretur de tranſitu & cæteris ſonibus animalium, aliarumq; rerum. Si autem falco qui debet portari de regione in regionem, ad tantam manſuefactionem ſit deductus, quod relaxata ſit ei ciliatura priuſquam portetur, debet totaliter ciliari, quatenus dum portabitur, non videat cauſas per quas poſſit ſe inquietare, & poſtquam erit ciliatus, portetur, & fiat ei ſecundum quod de ciliato dictum eſt ſupra. Et ſi falco qui debet portari de regione in regionem ad tantam manſuefactionem ſit deductus, quod totaliter ſit deciliatus, priuſquam portetur debet ciliari uſq; ad medietatem oculorum, quia ſi totaliter ciliaretur, rediret ad ſuam priorem agreſſitatem, & perderetur totum illud ad quod iam manſuefactus erat, & ſi non ciliaretur, inquietaret & diuerberaret ſe tantum in via, quod eſſet nociuum ei. Poſtquam ergo erit ciliatus uſq; ad medietatem oculorum, portetur, & fiat ei quod fiebat prædictis, & tanto plus ſubueniendum erit ei cum tiratorio & alijs, quanto ex eo quod

eo quod aliquantulum videt, magis habet occasionem diuerberandi, se & inquietandi plus quàm prædicti qui sunt ex toto deciliati. Si autem iter tam longum sit quod nõ possit durare ciliatura, & oportet ipsum pluries capi ad ciliandũ, & pluries ciliari si ciliatus portari debet, pro eo q̄, ex frequenti ciliatione & ex frequenti captione fieret agrestior, & magis odiret hominem, & palpebræ vastarentur, expedit quod in portando mansuefiat, & fiant ei cætera quæ fiebant in domo per aliquot dies, & tunc relaxetur ciliatura, & per aliquot dies portetur semideciliatus, & mansuefiat vsquequo totaliter decilietur, deinde portetur totaliter deciliatus & mansuefiat per viam: Quàmuis hic modus non sine difficultate fiat, & non sine fatigatione falconis, cùm non arte sed vi fiat, cùm non possint sibi fieri ea quæ fiebant ei in domo, nec eo ordine. Sed quando necesse erit fieri vt portetur, fiat sic: quod falco deciliatus portari debet in nocte, aliquot diebus, deinde falconarius surgere poterit ante diem, & portare ita falconem quod perueniat ad locum in quo hospitari debet in aurora, & gradatim alijs diebus sequentibus, poterit ipsum portare cum maiori claritate diei, quousq; securè possit eum portare per diem. Sed siue per diem, siue per noctem portari debeat deciliatus, habeat semper tiratoriũ paratum defendere ipsum ab inquietationibus & diuerberationibus, quoties erit necesse. Et licet portare per sylvas aut per valles sit conueniens ciliatis, pro eo quod non inquietant se

ex illis causis, cum non videant: tamen deciliatis non conuenit portari per syluam nec per valles, cum naturaliter odiant esse in syluis & vallibus, semper enim alta petunt, vt videant à remotis. Et si falco qui debet portari de regione in regionem ad tantam mansuetudinem sit deductus, quod in omnibus alijs iam sit mansuetus, præterquam in loyro & cæteris quæ sequuntur, portetur deciliatus temporibus debitis, siue sit nidarius, siue ramagijs, & cum tiratorio & cæteris quæ diximus præferentur ab inquietationibus & diuerberationibus.

CAPITVLVM LXXIV.

De inquietationibus & diuerberationibus, quas facit falco super manum, sedilibus, perticis, & signis ipsarum.

Falco qui non erit mansuetus secundum ordinem & secundum modum quem diximus, faciet hæc signa in principio suæ assuetudinis, & faciet eadem etiam diu post principium: quando falconarius accedit ad tollendum ipsum desuper perticam altam, falco distringit pennas & plumas ad se, & etiam applanat & distringit ad se plumas capitis, excutit se contra falconarium, infigit intuitum suum in visum eius, & quanto falconarius magis approximat, tanto amplius distringit ad se plumas, & excutit se falco versus falconarium, & ex quo falconarius iam proximus erit vt extendat manus suas ad dissoluendum falconem, vel quando iam extendit

tendit, ad hoc falco diuerberat se per longum
 perticæ, aut ex alia parte perticæ, quærens diffu-
 gere ab homine. Et si de pertica ima, aut sedili
 tolli debeat, facit eadē signa, & tantò ampliùs,
 quantò magis timet in sedilibus imis à rebus
 superuenientibus ei. Postquam iam est resum-
 ptus super manum, facit hæc signa: respicit fa-
 ciem portantis, & facies approximantium ei ab
 anteriori, & multò magis approximantium à
 posteriori, quærens inquietare se, aut diuerbe-
 rare, & vix aut nunquam stabit super manum
 plumis lassis, tenet enim eas semp̄ districtas, ra-
 rò erigit vnū pedem, vt sæpe accidit bene man-
 fufactis, rarò perungit se, rarò perquirat pennas
 suas rostro, & rarò excutit se super manum, di-
 uerberat se deorsum & retrorsum, & aliquando
 exclamat, & facit cæteras malas diuerberatio-
 nes quas diximus, & quando retrahitur super
 manum, respicit faciem portantis, quando au-
 tem pascitur, aliquoties mordicat carnes postea
 respicit faciem portantis, & aliorū circumstan-
 tium, & si nulli circumstant, respicit circum-
 circà. Et quotiens homo cum ipso ascendit in
 equum, inquietat se & diuerberat, & dum por-
 tatur ab equestri, timet multum ab omni causa,
 de qua debet timere falco, & quando descendit
 cum ipso falconarius de equo, inquietat se & di-
 uerberat. Vix vnquã balneabit se si falconarius
 stabit sibi propinquus; postquam autem bal-
 neatus erit, vix poterit tolli super manū quan-
 do se diuerberat, etiam cum tiratorio, cum om-
 nis falco postquam est madefactus, minus velit

DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

tiratorium, quamuis sit carnosum. Qui autem ab huiusmodi vitio emendari debet, sic emendari debebit contra ea quæ facit.

CAPITVLVM LXXV.

De remedijs faciendis contra inquietationes & diuerberationes falconum, super manu, sedilibus & perticis.

Remedium contra ea, quæ facit falco super sedes, est hoc: Falconarius debet sæpe requirere falconem cum tiratorio carnosum, & offerre sibi tiratorium, & non debet approximare perticæ, neque sedi sine tiratorio, & quando tollere debbit falconem, tollat ipsum cum tiratorio, eo modo qui prædictus est, hoc autem faciat falconarius quotiesq; falco iam nõ timeat de ipso, sed affectet videre ipsum, Remedium ad ea quæ facit super manum est, quod falconarius non aspiciat in faciem falconis ex improviso, sed porrigat sæpe sibi tiratorium super manum; & vt falco assecuret se ad videndum faciem portantis ipsum, quoties ipse volet intueri falconem, ponat tiratorium inter faciem suam & faciem falconis, vt falco accipiat tiratorium versus faciem hominis primò longius, deinde proximius, nam sic sæpe faciendū, propter tiratorium affuet ad diligendam faciem, de qua timere solebat. Remedium contra ea, quæ facit quando ascenditur super equum est: quod detur sibi tiratorium quoties ascenditur super equum, & falco-

falconarius ascendat super equum quanto suavis poterit, illo modo qui dictus est supra. Contra verò ea quæ facit super manū equitantis, est, quod falconarius sit sollicitus & attentus, percipere omnia de quibus timere potest falco, & porrigatur tiratorium falconi priusquam perveniat ad causam timoris, in descensu etiam de equo, porrigatur sibi prius tiratorium carnosum. Contra inquietationes & diuverbationes, fiat secundum quod dictum est supra. In balneando verò fiat quicquid dictum est, blandiendo ei cum tiratorio scilicet & cum alijs, quæ dicta sunt, quousque assuefiat ad balneandum se prope hominem. Illi autem falconi qui malè mansuefactus est, ut timeat de facie hominis, & de alijs rebus supradictis, & tamen benè portatus est, ciliantur oculi, & fiat quicquid supradictum est in cap. assuefaciendi falconem ad videndum faciem hominis & ad cætera. Illum autem qui benè portatus est, & malè mansuefactus, tantum quod timeat de facie hominis & de cæteris, & etiam defatigatus est ex longo itinere, oportet ciliare aut totaliter aut usque ad medietatem oculorum, secundum agrestitatem quam habebit: nam si multum erit agrestis, totaliter ciliabitur, si parum erit agrestis, ciliabitur usque ad medietatem oculorum, & debet poni ad quietandum super sedem, immo, faciendo ea quæ diximus, nam si macer est debet impinguari, non tamen quod per pinguedinem redeat ad agrestitatem, & postquam sufficienter quieverit, manifestat eo modo quem exigit agrestitas sua.

Illum autem falconem qui non est malè mansuefactus, neq; timidus ad faciem hominis, & ad cætera, sed tamen eo quod portatus est longo itinere, & quandoq; est de illis qui naturaliter se diuerberant, est fatigatus, debemus ponere in domo obscura ad quiescendum, & si per hoc non cessabit ab inquietationibus suis, neq; quietem recipiet, debet ciliari, & debet ei succurri diuerberationibus suis factis & faciendis quemadmodum dictum est. Illi autem qui naturaliter diuerberant se, multùm defatigantur plus longo itinere quàm ceteri: nam ex itinere & ex suis diuerberationib⁹ se multùm fatigant, & hoc accidit pluribus ex eo, quod à principio mansuefactionis fuerunt nimis macrefacti.

CAPITVLVM LXXVI.

De signis falconum malè portatorum.

Falco verò qui per longum iter malè portatus est, vel diu malè portatus est, facit hæc signa: tenet alas demissas, cauda non descendit in directo dorso, appodiat se super manum cum cauda sua, & verberat manum cum cauda, cauda facit gibbum in loco in quo continuata est dorso, non tenet pennas cauda recolletas inuicem, neq; coadunatas, non tenet pedes æqualiter distantes, firmat se super vnum pedem plus quàm super alium, stringit cum pedibus manum portantis, si commoueatur manus super quam est, non audet commutare pedes suos, sed apprehendit strictiùs manum, timens ne cadat.

excudit

excutit se, & diuerberat debiliter, non flagellat
 alis, sed extendit quandoq; vnam alam, quan-
 doq; aliam, quandoq; ambas, & crura similiter,
 tenet oculos lassos, & claudit quandoq; vnum,
 quandoq; ambos. Hæc sunt signa quæ facit su-
 per manum, & similia facit quando sedet super
 perticas aut sedile; plures diuerbationes &
 inquietationes erunt in falcone, qui consuetus
 erat bene portari, quando stabit super manum
 mali portatoris, quam in illo falcone qui sem-
 per malè portatus est, quando stabit super ma-
 num mali portatoris: ille enim tanquam non
 vsus malo portatore, nescit esse super manum
 mali portatoris, & facit omnia supradicta, & di-
 uerberat se, quàmuis sit de illis falconibus qui
 naturaliter parùm se diuerberant, & diuerbe-
 rando deijcit se de manu mali portatoris, quo-
 niam non libenter stat super manum eius. Hic
 autem tanquam deuietus & defessus, & vsus ma-
 lo portatore, sustinet sua mala. Signum autem
 certum & evidens, quod falco diuerberat se &
 inquietat, ex malo portamento est, quod quan-
 do redit de manu mali portatoris ad manum
 bene portantis, excutit se super manum boni
 portatoris, & quiescit postmodum in ea, quem-
 admodùm de manu bene portantis ad perticam
 vel ad sedile, excutit illic se, per quod excutere
 innuit quod membra quæ erant defatigata re-
 aprat, & pennas collocat quæ fuerant desiccataz
 ex malo portatore, in pertica etiã aut sedili fa-
 cit hoc idem libenter pro eo, quod pertica & se-
 dile firmiora sunt sibi, quàm manus quæcunq;

Illi qui male portatus est, & tamen adeò est bene mansuefactus, quod non est timendum neq; de facie hominis, neq; de alijs rebus supradictis, remedium fiet hoc modo: non debet ciliari, cū non inquietet se neque diuerberet, sed vtile est quòd ponatur ad sedendum & quiescendum, & ad maiorem cautelam in domo non clara, & super sedem imam, & in hyeme ponatur palea, aut fœnum, aut aliquod molle super terram, circa sedem, & in æstate sabulum vt quiescat desuper, & vt pennæ saluiores sint & pedes, & dum est in domo obscura, falconarius visitet ipsum frequenter; blandiendo ipsi cum tiratorio, ne per obscuritatem domus, & per absentiam hominis possit redire in agrestitatem, vnaquaq; verò vice quando debet pasci, trahatur de domo obscura & pascatur inter homines, vt permaneat in mansuetudine sua, & si fuerit nimis macilentus, dentur sibi carnes, & impinguetur, non tamè tantum, quod per pinguedinem possit redire ad suam agrestitatem pristinam, si enim impinguaretur tantum quod nollet tiratorium, defatigaret se multum, & non proficeret sibi quies, quæ data fuerat ipsi, & si non est nimis macilentus, sed est in eo statu, ad quem reduci deberet si esset macer, non impinguetur, sed teneatur in eodem statu, & caueatur sibi à malo portatore, nam si rediret ad malum portatorem, rediret in peius, & non proficeret ei quicquid factum sibi fuisset. Falco verò qui captus fuit syluester, vel etiam falco nidarius, si male portatus est & male mansuefactus, in tantum

tum quod inquietationibus suis fuerit debilitatus, & quasi deuictus, quod accidit pro eo quod non fuit ciliatus à principio, & per malum portatorem, vt ad aliquam bonitatem redeat, debet ciliari, & ponendus est ad quiescendum in domo obscura, super sedem imam, & debent dari sibi bonæ carnes, & permittatur quiescere tantò diuti⁹ quantò magis est fatigatus, & postquam sufficienter steterit in quiete, debet tractari iterum suauiter, tantò plus, quantò magis male mansuefactus erat. Quando cunq; etiam videbitur quod falco malè portatus, aut diu, & per longum iter, faciet signa volendi ire ad sedendum, quæ maximè facit circa serò, non detineatur super manum, sed priusquam se diuerberat aut aliter inquietat ad hoc, ponatur ad sedem, & permittatur quiescere, & reparare sibi vires per quietem super sedem suam. Signa autem hæc dicta sunt in capitulo diuerberationū, quas facit falco dum mansuefit in domo, illic requirantur, & qualiter subueniendum est eis. Omnes autem hi falcones, postquam steterunt sufficienter in quiete sua, facient hæc signa: tenent oculos alacres & rotundos, tenent alas altas, & in loco debito, tenent pennas suas collectas ad corpus suum, stant erecti sup pedes suos, sunt veloces ad motus suos, excutiunt se fortiter, flagellant rigide & saepe & fortiter, & quando videbuntur hæc signa, possunt mansue fieri, vnusquisq; secundum id quod exigit, eo modo quem diximus supra, perungunt se saepe, & perquirunt pennas rostro saepe.

CAPITVLVM LXXVII.

De mansuefactione falconum cum capello, à quibus gentibus capellum fuit inuentum.

Hucusque dictum est quomodo falcones mansuefiunt sine capello: nunc dicatur quomodo mansuefiendi sint cum capello, vt audito de vtraq; mansuefactione, quæ fit cum capello & sine capello, eligatur modus ille qui magis placebit. Quare autem prius dictum fuit de illa mansuefactione quæ fit sine capello, diximus supra, sci. quoniam est antiquior penes nos qua habita, facilius haberi poterit illa quæ fit cum capello, quàm è conuerso. Dicendum est itaq; de capello à quibus sumpserit exordium, & quid est capellum, & qualis debet esse forma boni capelli, & qualis est vsus capelli circa falconem agrestem. In quo attendendum est, primò quid faciendum est falconi, priusquam imponatur sibi capellus, quando & vbi incipiendum est sibi imponere capellum, qualiter imponendus est, quas defensiones facit falco contra capellum, quid faciendum est contra illas defensiones, quos modos inquietationum facit postquam impositus est sibi capellus, quid faciendum est contra illas inquietationes, & maximè quomodo cauendum ne ejiciat capellum sibi impositū, per quæ signa cognoscitur quod velit tolerare capellum, qualiter remouendus est capellus, quibus de causis, & quando debet carere capello, qui falconum assuefiendi sunt ad frequen-

frequentem impositionem capelli, & ad frequentem extractionem, & qui non, quando relaxanda est eis ciliatura, aut ex toto tollenda, & quando foris assuefendi sunt ad capellum à pedestri, & postea ab equestri, quòd non solum agrestis, sed etiam mansuetus ad capellum, inquietat se pro capello, propter falconarium imperitum circa vsum capelli, & propter malam formam ipsius capelli, & quando mutatur de vno capello ad aliud, & quid faciendum est còtra hæc, quomodo cognoscetur de falcone nouiter habito, an fuerit vnquam assuefactus ad capellum an non, & si assuefactus fuerit ad capellum, an per peritum falconarium in vso capelli, an per imperitum, & si per imperitum, assuefaciendus est iterum per peritum, de vso capelli circa falconem portandum de regione in regionem, in quo est diuersitas ab illo vso qui fit circa falconem non portandum de regione in regionem, de capello in quibus communicat cum tiratorio, & in quibus differt, quæ sunt vtitates capelli.

Capellum autem sumpsit exordium ab orientalibus gentibus. Arabes enim orientales prinsequam aliæ gentes, de quibus nouimus, aliqui vti sunt capello circa mansuefactionem falconum, & eorum quæ sunt de genere falconum; & nos quando transiuimus mare, vidim⁹ quod ipsi Arabes vtebantur capello in hac arte. Reges namque Arabum mittebant ad nos falconarios suos peritiores in hac arte, cum multis modis falconum: præterea non negleximus ad nos vocare

332 DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

care expertos huius rei tam de Arabia, quàm de regionibus vndecunq̄ue, ab eo tempore scilicet in quo primitus p̄posuimus redigere in librum ea quæ sunt huius artis, & accepim⁹ ab eis quicquid melius nouerant, sicut diximus in principio, Vnde quoniam vsus capelli erat vnum de melioribus quæ sciebant, & vidimus vtilitatem magnam circa mansuefactionem falconum in illo, exercuimus mansuefactionem falconum cum capello, & vsum capelli sic approbatum à nobis moderni nostri citra mare habuerunt, quare dignum esset à posteris non relinqui.

CAPITVLVM LXXVIII.

De capello & forma ipsius, de materia ex qua fit, & qualiter fiat.

Est autem capellus quoddam formatum de corio, secundū formam capitis falconum, ad continendum caput ipsorum vsque ad collum, rostro & naribus exclusis ab eo; de corio verò conuenientius fit, quod neq; nimis sit durum, neq; nimis molle; proportionatum verò debet esse formæ capitis falconum, vt caput conuenienter contineat. Caput continere debet ne falco videat, rostrum & nares excludantur, vt sine impedimento falco possit anhelare, amplius debet esse super caput, vtrinq; ab oculis elongatum, sub collo verò strictum, amplitudo verò superior nō permittit oculos comprimi, & strictura inferior non permittit capellum facile cadere de capite, non tamen sit tantum strictum quod

quod caput falconis non possit intrare, nec post introitum caput plenè continere. Pars verò capelli, quæ tegit sinciput falconis, perforata sit vno foramine, per quod foramè exhibit rostrum & nares solummodò, quod foramen debet esse largum seu strictum juxta grossitiem rostri. Pars autem illa capelli quæ teget verticem capitis, perforata sit vno foramine vel pluribus, quæ foramina ad hæc sunt vtilia, quod capellus non possit multùm calefacere caput, & quod vapores ascendentes ad caput, exeant plenius. Hæc autem foramina addidimus nos priori formæ capelli, attendentes vtilitatem ipsorum, quando enim capellus carebat foraminibus istis, & remouebatur capellus de capite falconis, caput quod fuerat calefactum sub capello, expositum post extractionè capelli, aëri frigido, rheumatizabat, & non solum rheuma inde accidebat falconibus, sed alij morbi capitis quàm plures, quibus morbi non tam saepe acciderunt falconib⁹ postquam capellū fecimus desup perforari, nec, imposito capello aut remoto, fuit tam subita mutatio in falcone de calore in frigus, aut econtrà. Pars verò extrema capelli, quæ tegendo occiput tendit ad collum, desuper tendat vtcunque in acutum versus extremum sui, cui adiungatur corrigiola vna stricta de corio tenui & molli, tantū longa quod sufficiat descendere per dorsum inter ambas alas vsq; ad extremitatè penarum caudæ; talis debet esse forma capelli. Ea autem quæ falconarius debet facere circa falconem, antequam imponat sibi capellum, sunt:

vngues

vngues hebetare, jactos & campanellam imponere, ipsum ciliare, & super manum erigere, quæ nisi prius circa falconem fierent, valde difficile esset falconem mansuescieri ad capellum. Quando autem debeat falconi capellum imponi, diuersi sentiunt diuersimodè; quidam enim dicunt quod falconi agresti postquam captus est & ciliatus, & de malleolo remotus, & super manum positus, statim imponendus est sibi, capellus priusquam quoquo modo tractetur manu, vel aliquo alio circa rostrum, pectus & collum, & dicunt hanc rationem: falco agrestis, eo ipso quod captus est de nouo, adeo timorofus est, quod defacili imponitur sibi capellum, quia perterritus paucam aut nullam defensionem facit contra capellum, & ex illa prima impositione capelli assuescit capellum, & potest imponi sibi post, dum tamen cum eo quoquo modo pertractetur vsque ad impositionem capelli sequentem; & sunt quidam qui dicunt, quod falco ramagius statim ac captus est, in malleolo positus & ciliatus, adeo est ab homine alienus, & ad tractandum repugnans, quod multimodâ defensionem facit contra capellum, & nullo modo sustinet imponi sibi capellum, vnde dicunt, non statim imponendum sibi esse capellum, sed prius aliquot diebus pertractandus & pertangend° manu, vel aliquo alio circa caput, collum & pectus, & postmodum imponendus est sibi capellus, quoniam tunc melius sustinebit. Nos verò dicimus, quòd falconum quidam sunt ex captione & ciliatione adeo perterriti,

præci-

præcipuè sacri & laynerij, quod nullam defensionem faciant à principio contra capellum: & quidam sunt adeo iniqui & feroces, ex eo ipso quod capti sunt & ciliati, quod multimodam defensionem faciant contra capellum. Et discernuntur hi ab inuicem per has causas: Falco qui in principio quando est ciliatus & super manum positus, tenet pennas capitis & colli & totius personæ constrictas ad se, & alas retractas ad dorsum, & pro tactu capitis & rostri non aperit ipsum rostrum, nec sufflat, nec commouet caput, nec horripilat pennas capitis & colli, perterritus est; & huic potest imponi capellus à principio priusquam tractetur manu, sed pauci inueniuntur de his. Falco verò qui contra facit supradictis, ferox est, & prius tangendus est, & tractandus manu vel aliquo alio circa caput, collum & pectus, donec scil. perdat apertionem rostri, & horripilationem capitis & colli, & postea capellus imponatur, quoniam recipiet tunc faciliùs capellum, ex hoc patet, quando potest falconarius incipere imponere capellum falconi.

CAPITVLVM LXXIX.

De loco in quo debet imponi capellus, & de opere falconarij in imponendo ipsum.

Vbi autem debeat incipere imponere capellum, sit domus non clara, nam si esset clara, quamuis ciliatus foret, tamen percipiendo claritatem, inueniretur agrestis contra capellum; sit so-

DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

fit solitaria, in qua non audiat voces aut tumultus de quibus terri possit, per quas difficilior esset ad capellum. Falconarius quando debet imponere falconi capellum, taliter faciat: teneat iactos falconis strictius & curtius, quatenus falco stet firmus super manum, quando imponetur sibi capellus, sustineat autem capellum à duobus digitis suis, indice scilicet & medio, quod pars capelli debens superesse occipiti, iaceat super ipsos digitos à parte intrinseca eorundem digitorum, & foramen vnde exhibit rostrum, stet superius, & pollex ponatur super partem capelli prope foramen vnde exhibit rostrum, ita quod illud foramen non sit inter pollicem & indicem, & corrigiola capelli pendeat ab interiori manus ad extrinsecum, ita quod duo digiti quos diximus, sint ex vno latere corrigiolæ, & alij duo ex alio, & tunc quando debet imponere capellum, debet erigere, manum sic tenentem capellum ante faciem falconis, taliter quod id vnde debet intrare caput, veniat ante faciem falconis, & sic visetur, quod intrante capite, rostrum sine impedimento intret foramen, quod pro ipso factum est, & caueatur ne pollex intret foramen ipsum, quia non posset imponi capellus. Item cum duobus digitis inferioribus qui non sustinent capellum, scilicet cum medio & auriculari, retineat falconem, ne imponendo capellum impelleretur falco ad posterius, ex hac namque impositione, aut se inquietaret, aut ad posterius caderet de manu, etsi pluries sic accidat quod impellatur, quando-
cumq;

eumq; dēbebit imponi capellus. Plures falconum non solum ad suauem impositionem capelli, verum etiam ad solum visum huius capelli refugient & retrocadent, ideo imponitur adeo suauiter capellus quod falconem non tædeat, quoniam ex illo tædio, vt diximus, assuesceret se inquietare, quoties videret deberi poni sibi capellum, & ex hoc ipso hominem magis odiret. Corrigiola verò capelli quæ tenebatur inter duos digitos inferiores manus, & alios duos digitos qui sunt supra illos, debet conducti suauiter per medium dorsi inter alas, & descendat inter alam forinsecam & caudam, ita quod cauda remaneat inter corrigiolam & hominē, & extremitas corrigiolæ infra digitos recipiatur, manu tenentis falconem ab extrinseco digitorum, & hoc quando timetur ne falco expellat capellum de capite, propter hoc teneatur corrigiola inter digitos, & teneatur laxa, non tensa, quia si falco sentiret tensionem corrigiolæ, inquietaret se, retorquens caput, caperet corrigiolam cū rostro & distraheret, aut quando crederet capere corrigiolam super dorsum, acciperet pennas suas, & deuastaret cum rostro, aut propter multam tensionem corrigiolæ, excuteret caput frequenter, & deijceret se de manu. Iuuat etiam tenere corrigiolam inter digitos in hoc, quod si contingat capellum expelli de capite, quando falco scil. excutiet caput, aut scalper se pedibus, aut aliquid aliud faciet contra capellum ipsum, capellus non poterit cadere in terram, corrigiola inter digitos retenta;

Y

verun-

veruntamen si falco suaviter sustineret capellum, & capellum ad eò bene formatum est, quod non possit falco eijcere ipsum, melius est, non tenere corrigiolam, neque ponere ipsam inter spatulas falconis, sed permittat ipsam descendere anteriùs collateraliter collo. Est præterea corrigiola utilis in hoc, quod cum eadem corrigiola capellum ipsum ligatur còuenienter ad perticam, & pendens seruatur ibi. Taliter imponendus est capellus, & taliter cum eius corrigiola operandum.

CAPITVLVM LXXX.

De inquietationibus & diuerberationibus & defensionibus, quas faciunt falcones in impositione capelli, & post impositionem ipsius, & qualiter succurratur eis.

CVm autem impositio capelli in capitibus falconum, & retentio eiusdem in capitibus eorundem, sit eis insueta, horribilis & contra naturam eorum, necesse est quod plures falconum defendant se contra impositionem capelli, & quod inquietent se postquam capellus est eis impositus. Quidam non inquietant se; & quidam non defendunt se contra impositionem capelli, sed postquam est eis impositus, inquietant se multipliciter. Vtrique tamen pauci sunt, propter hoc expetit vt dicamus modos defensionum & inquietationum, quas faciunt pro capello, quatenus doceamus falcones cessare à defen-

defensionibus & inquietationibus suis. Defensiones igitur quas faciunt falcones cōtra capellum huiusmodi sunt: Quàmuis sint ciliati aperiunt rostrū, sufflant, horripilant plumas capitis & colli, & etiam quamuis non videant, tamen statim quod sentiunt se tangi capello, faciunt ea quæ diximus, quoniam ex tactu capelli habent quandam titillationem cum horrore; sed falconum aliqui faciunt has omnes defensiones, aliqui paucas ex his, & quidam diu perseverant in faciendo has defensiones, quidam non. Illi igitur qui aperiunt rostrum, & sufflant & horripilant caput & collum, primitus debent tractari manu, vel penna, vel virgula, circa fauces, collum & pectus, vt assuefiant ad tactus, & per hoc desinant apertionem rostri, sufflationem & horripilationem, capitis & colli, & sustineant sibi imponi capellum, & titillatio quam habent ex capello, nō sit eis tam horrida, & posthæc assuefaciendi sunt ad frequentē impositionem & extractionem capelli, & frequenter debent tangi circa collum, rostrum & pectus, vt dictum est. Quando autem est eis impositū iam capellum, inquietant se hoc modo: excutiunt caput ad expellendum capellum, sufflant & strident, præcipitant se de manu vnde cunq; possunt, & per se non redeunt, sed si reponantur super manum, iterum præcipitant se, & si contingat quod stent super manum, stringunt eam pedibus, mordent iactos & chirothecas, & cum vno pedum suorum attentant accipere capellum, & quandoq; accipiunt, per quas

90 DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

inquietationes facile possunt expellere capellū de capite suo. Et quidam falconum faciunt plures inquietationes, & quidā pauciores. In omnibus inquietationib⁹ quas faciunt sub capello, cauendum est, ne per inquietationes expellant capellum de capite suo, cauebitur autē hoc modo: corrigiola capelli recipiatur inter digitos, eo modo qui dictus est, & si excutiant caput, aut cum alterutro pedum accipere conentur capellum, aut scalpant se cum pedib⁹ ad eijciendum capellum, teneantur per iactos suos curtius & strictius, & apponantur digiti capello ante frōtem, vt iuuent retinere capellum in capite, & reuoluetur manus super quam sedet, pro eo enim quod non sunt firmi super vnum pedem, oportet quod deponant alium, & sic cessabunt accipere capellum cum pedibus, aut scalpendo eijcere capellum. Si autem præcipitent de manu, & nolunt redire per se, reducantur ad manum, iuuando eos cum alia manu quoties hæc fecerint, & si mordent, apponatur aliquid durum ante rostrum quod mordeant, nam per hoc cessabunt mordere. Istis tamen qui se multipliciter inquietant sub capello, deijciendo capellū à capite suo, diu dimittendum est capellum, & non frequenter imponendum est sibi capellum aut promouendum: & dum tenent capellum, non debent tangi, ne per tactum incitentur ad inquietationes. Ex prædictis patet quid faciendum est falconibus, qui se defendunt contra capellum, & inquietant se sub capello. Et quid illis qui se defendunt contra capellum, sed non inquietant se, & quid illis qui non se defendunt
contra

contra capellum, sed inquietant se sub eo, post defensiones, inquietationes & diuerberationes multas, quas falco fecerit cōtra capellum. Signa q̄ falco velit tolerare vsum capelli sunt, quia ipse falco tenens capellum in capite, aliquando excutit se, & deinde aliquando perquisit penas & plumas suas, & aliquando perungit pennas & plumas suas, & laxius stringit manum portantis cum suis pedibus quàm prius faciebat, & quandoq; dormit tenendo capellum, maxime quando diu vigilatum fuerit tenendo ipsum super manum, aut si famescat aut si sit fatigatus; quando videbuntur hæc, signum est quod falco velit tolerare capellum. Debet autē remoueri capellum de capite falconis taliter: apprehendatur capellum ante frōtem falconis ex vtroq; latere cum digitis, & non stringatur capellum in remouendo, nisi quantum sufficit ad extractionem eius, tollaturque de capite suauiter & non durè. Debet autem carere capello quoties debet pasci, & quoties dandum erit sibi tiratorium ad mordicandum siue ad beccandum, & quàm diu sedebit super sedile aut super perticam, & ad discendum exercitationem capelli, debet carere capello, vt quietiùs sedeat, & melius quiescat, & quando balneandus est, & quando deijciendus ad volandum, si aliquo modo inquietat se sub capello, non remoueat capellum à capite suo. Imò si contingat quod incipiendo remouere capellum quietus sit, sed in remouendo se inquietet, desistat falconarius, & non remoueat capellum, ne ex retractione qua

tunc fieret, posset falco colligere malum vsu-
 dum enim aliquo modo se inquietat, si extra-
 hitur capellum vt diximus, saepe faciet similem
 inquietationem, quærens sibi remouere capel-
 lum. Ad frequentem autem impositionem ca-
 pelli & ad frequentem exertionem, assuefacien-
 di sunt omnes illi falcones, qui se defendunt
 contra impositionem capelli, vt dictum est, &
 non illi qui se inquietant sub capello. Illi enim
 qui se defendunt contra capellum, frequenter
 imposito capello, & frequenter extracto, assue-
 scunt rostrum suum & caput frequenter tangi
 cum capello, per quod perdunt titillationem
 quam habebant de capello. Alijs autem qui
 non se defendunt contra capellum, nō est opus
 frequenter imponere capellum, nec frequenter
 extrahere. Falconi autem qui assuescitur ad
 capellum, non debet relaxari ciliatura, prius-
 quam assuetus sit tantum ad capellum, quod
 nec se defendat ad impositionem capelli, nec
 se inquietet propter capellum impositum, & si
 cōtingeret quod deciliaret se priusquam assue-
 tus esset ad capellum, iterum ciliandus est. Cū
 autem assuetus erit ad capellum, relaxari debe-
 bit ciliatura, vt assuescat paulatim videre ma-
 num & capellum, & motum manus imponen-
 tis capellum: nam si falconi relaxaretur cilia-
 tura priusquam assuetus esset ad capellum, acci-
 deret bene quod falco agrestior fieret ad impo-
 sitionem capelli, pro eo quod videret, quam-
 uis non plenè, & manum & faciem & cætera de
 quibus timeret, cum nō videre consueuisset, &

hxc

hæc faceret si relaxaretur ciliatura, ante assuefactionem eius ad capellum, multò magis faceret hæc, & peiora, si deciliaretur totaliter & repente, ante mansuefactionem eius ad capellum, addisceret enim multos modos inquietandi se & diuerberandi ad impositionem capelli. Relaxata itaq; ciliatura vt conuenit, assuefiendus est falco semideciliatus ad impositionem capelli, quemadmodum assuefiebat ciliatus, fiet autem hoc modo: portabitur ad domum non claram, & in ea assuefiat ad frequentem impositionem & extractionem capelli, vt per obscuritatem minus videat & manum & faciem portantis, quas si videret, distorqueret caput quando deberet imponi sibi capellum, & aperiret rostrum, & aliter se inquietaret, quod totum faceret ppter capellum, cuius signum est, quod imposito sibi capello, non iam inquietaret se sub eo, postquã autem factum erit hoc per aliquot dies in domo nõ clara, tantùm quod falco semideciliatus iam sustinet impositionem & extractionem capelli, debet similiter assuefieri ad capellum in domo aliquantulùm clara, deinde in clariore, deinde portando ipsum foras, primò à pedestri postea ab equestri, & postquam erit hoc factum sufficienter, debet totaliter deciliari: & simili ordine & simili modo procedendum erit in assuefaciendo deciliatũ ad capellum, prius in domo, postea de foris, à pedestri & ab equestri: veruntamen quoniã sub aëre libero videt multa, quæ in domo videre non consuevit, & recordatur agrestitatis suæ, quoties extrahitur sibi

deciliato capellum, habet maiorem materiam inquietandi & diuerberandi se, quàm in domo, propter hoc falconarius maiori studio sit attentus, vt prohibere possit inquietationes eius, & assuefacere ipsum ad impositionem capelli. Hoc autem fiet melius, si porrigatur tiratoriũ quandoque falconi, & dum gultabit de tiratorio, & minus cauebit sibi, & minus se defendet, tunc falconari^o imponens sibi capellũ, & frequenter irroret ipsum aqua frigida, vt dictum est, & maximè in tempore dum etiam tenet capellum, & quandoq; balneetur, sed tamò debet balneari sine capello. Hoc modo melius assuefiet ad capellum, deciliat^o intus & foris, & meliùs cauebitur sibi à defensionibus & inquietationibus quas facit contra capellum. Non solùm autem agrestis defendit & inquietat se, propter agrestitatem suam, contra capellum modis illis qui dicti sunt, sed & falco qui agrestis est, & ille qui iam mansuefactus est ad capellum, defendunt & inquietant se pro capello, si falconarius est imperitùs in vsu capelli, & si capellũ est malè formatum, & si mutatur de vno capello ad aliud. Quandoq; igitur ciliatus falco, & semideciliatus, & ex toto deciliatus, assuefactus erit sufficienter ad capellum, non tamen propter hoc committendus erit alicui falconario imperito in vsu capelli, nam propter falconarium imperitum in vsu capelli, cum malè ei imponat capellum & male extrahat, falco amittet omne quod primò benè didicerat ad capellum, & deinde difficilius erit assuefacere ipsum ad capellum,

lum, quàm à principio: & si hæc accidunt de falcone assueto ad capellum, propter malum impositorem, multò magis peiora accident falconi agresti, quando ab imperito falconario in vsu capelli assuescet. De omni itaq; falcone agresti vel assuefacto ad capellum, non est aliquatenus confidendum falconario imperito in vsu capelli. Si etiam capellum non fuerit formatum secundum formam capitis, vt diximus, falco defendet se contra ipsum, & inquietabit se sub ipso. Capellum verò malè formatum premit falconem in aliqua parte sui capitis, & si premet in oculis, habebuntur signa ex his, quod falco propter hanc pressuram fricabit caput suum ad humeros, ex vtraque parte capitis, vel ex illa solùm in qua est pressura, & capellum in parte interiori sui quæ tangit oculum, humectatum erit ex aqua oculi: Si verò premit capellum rostrum falconis, signum habebitur ex hoc, quod falco tenens capellum in capite aperit rostrum, excutit caput, quasi volens euomere carnes, ducit vngues ad rostrum scalpendo se vbi dolet, & in parte superiore rostri apparet rubedo & tumor cum depilatione quadam, & inferiori parte rostri deplumatio vtrinq; circa fauces. Si autem in collo premat, signum est quod horripilat pennas colli, & videtur ingrossare collum suum, & semper attentabit expellere capellum cum vnguibus; propter malam formam huius capelli defendit & inquietat se falco multipliciter ad mutationem capelli. Falco assuetus ad capellum, quàmuis capellum bene sit formatum

ad quod mutatur, tamen inquietat se sub capello, aliquo modo inquietationis, quod cum faciat propter solam nouitatem capelli, non propter hoc desperandum est; modus enim inquietationis quem faciet sub nouo capello, non est similis modus inquietationis quem facit agrestis falco, nam agrestis & propter agrestitatem suam inquietat se ad capellum; cum nullius capelli vsum habuerit, & multò magis se inquietabit si de vno capello mutetur ad aliud, & tam agrestis quàm mansuefactus ad capellum; si mutetur ad capellum malè formatum, quàm si mutetur ad capellum bene formatum. Remedium quod debet & potest fieri falconi contra imperitum falconarium in vfu capelli, est vt prædiximus, quod neque falco incipiendus assuefieri ad capellum, neque iam mansuefactus ad capellum, committatur imperito falconario, & si per imperitū falconarium assuetus sit ad capellum, emendabitur vt dicemus paulò post. Contra malam formam capelli, non est nisi mutare ipsum ad capellum bene formatum, aut suum capellum emendare in eo quòd male formatum est, ita quod non prematur ab ipso in aliqua parte. Bonam autem formam capelli docuimus in principio mansuefactionis fiendæ cum capello. Contra mutationem capelli per quam inquietat se falco, sic erit faciendum: assuefiat falco à principio cum capello vsitato & bene formato, quod non oportet mutare, & si necesse erit mutare, mutetur ad capellum bonæ formæ, & non malæ, & caueatur

tur

tur quanto plus potest caueri, à mutatione capelli frequenti. De falcone autem nouiter habito, an fuerit vnquam mansuefactus ad capellum an nō, & si fuerit assuefactus ad capellum, an per peritū, cognoscetur per hæc signa: Ille falco qui non fuit assuefactus ad capellum, quando imponetur sibi capellū, permittet sibi imponi absq; defensione, & postquā erit in capite suo, non sustinebit eum quietē, sed inquietabit se p̄ eo. Ille verò qui assuefactus fuit ad capellum, & per bonum impositorem, quando imponetur sibi capellum, nec defendet se ad impositionem capelli, nec inquietabit se sub eo, cū benè fuerit assuetus ad capellum; sed ille qui assuefactus fuit per malum impositorem, defendet se ad impositionem capelli, cum sciat quid sit capellum, & male fuerit sibi impositū, non tamen inquietabit se sub capello, cū assuetus fuerit tenere. In illis qui sibi permittunt imponi capellum absq; defensione, & inquietant se sub capello, faciendum est sicut fieret quando à principio assuefierent ad capellum: in illis autem qui nec se defendunt, nec se inquietant sub capello, nihil faciendum est, ex hoc tamen cognoscitur quod bene fuerit assuetus ad capellum, quia nec se defendit nec se inquietat. In illis qui assuefacti sunt ad capellum per malum impositorem & imperitum falconarium, sic erit faciendum, ciliandi sunt iterū & tractandi suauiter, & capellum debet eis imponi quantò suauius poterit, vt dediscant malam assuefactionem ad capellum, & addiscant bonam, & debet relaxari

xari ciliatura, & omnia debebunt fieri meliori ordine & meliori modo, quem diximus supra, & assuefiat ad capellum per peritum falconarium, & caueatur ne incidat in manus imperiti, & quod capellum bene sit formatum. Secundū ea igitur quæ dicta sunt, debet mansuefieri falco ad capellum in domo & extra domum, qui nō est portandus de regione in regionem. Qui verò deportandi sunt de regione in regionem, assuefieri sunt ad capellum hoc modo: Illi falcones qui nouiter capti sunt, & debent portari, ciliantur, & eis ciliatis imponatur capellum, quoniam melius portabuntur, & sine maiori inquietatione, ad remota loca, & si dicatur conuenienter portari possunt ad remota loca sine capello, quoniam ciliati sunt, & sufficit ciliatura, cum non videant, nec est opus capello in eis potandis, dicendum quod ciliatura non sufficit quemadmodum capellum, quoniam non possunt adeo bene ciliari, nec palpebræ inferiores sursum eleuari, quod oculi claudantur penitus, quemadmodū per capellum, & esto quod palpebræ claudant oculum totaliter, oculi non percipiunt lumen aliquatenus, pro eo quod palpebræ sunt tenues, & falco percipit claritatem, & iterum lux subintrat à superiori parte, cū ciliatura non possit diu stare quin relaxetur propter elongationem filii, aut propter depressionem plumarū sub eo, & propter descensum palpebræ ipsius collateraliter ex vtraque parte filii, & cum caput sit magis expeditum sine capello quàm cum capello, falco magis se inquietat

quietat sine capello, quàmuis ciliatus sit, percipit enim per aërem quem attrahit cum naribus, se esse foris, & sub aëre libero. Præterea aures concluduntur sub capello, vnde min⁹ audiunt propter hoc falco minùs se inquietat cum capello quàm sine. Patet igitur quòd meliùs portabitur falco cum capello de regione in regionem quàm sine. Ciliatus itaq; priusquam portetur, assuefiat per aliquot dies ad capellum, sicut dictum est, quousque vel omninò dimittat defensiones & inquietationes, si possibile erit, vel satem peiores; debet assuefiere per illos dies plus ad tactum ad portandum huc & illuc, & ad capellum, quam si non esset portandus de regione in regionem. Et si est deportandus per aëritatem, portetur nocte, & maximè in calidis regionibus, nam si portaretur in die, calefieret caput suum superflue ex capello, & per consequens reliquum corpus, per quam calefactionem incurret morbum, & præcipue in capite, & vt præseruaretur ab huiusmodi calefactione, oportet ipsum frequenter irrorari, aut balnari aqua frigida, quam non esset possibile forte inuenire quoties esset opus; quàmuis non esset opus irrorare ipsum propter inquietationes, cum eas minùs faciat cum capello quam sine, tamè propter calefactionem irrorandus esset: & de nocte etià meliùs est quàm de die, quia poterit quandoq; portari sine capello, & propter hoc assuefiere debet ad impositionem & extractionem capelli. Et si oporteat portare falconem per diem in tempore calido, portetur manè priusquam

quam ascendat calor, & serò postquam descendit calor, circa feruorem diei nullo modo portetur, & dum portabitur prædictis horis diurnis, dabitur sibi pastus in via madefactus in aqua frigida, & pluribus vicibus, nam si simul totus daretur, esset nociuum, propter causas quas supra diximus in capitulo portandi falconem sine capello. Et si debeant per ætumnnum portari, conuenientius portabuntur per noctem quàm per diem, per diem enim autumnus quàmuis non sit tantus calor quemadmodum in æstate, tamen eligendi erunt illi dies autumnales in quibus minus calor est: consueuerunt enim esse intensi calores in autumnus, & tempus variabile de calore in frigus, & econuerso; si fuerit intensus calor, non portetur nisi de nocte, vel manè & serò vt dictum est. Si autem portari debeant in hyeme, portentur per diem, nec timendum est de inquietationibus quas possent facere per claritatem aëris, cum teneant capellum, & eam non percipiant. Per noctem etiam hyemis si portari debeant, non portentur in nimio sereno, nam consueuit esse frigus intensus, maxime in frigidis regionibus, & quemadmodum ab intenso calore caueatur eis, sic & ab intenso frigore cauendum est eisdem, propter hoc portandi erunt super chirothecas pilosas, quemadmodum illi qui portabuntur sine capello: nam per chirothecas calefient pedes, & per capellum caput, & ex utroque per continuationem calefiet totum corpus, quod iuuamentum est eis, tempore frigido in
hyeme,

hyeme, & præcipuè in frigidis regionibus, & contra frigus faciet cætera, quæ diximus fieri alijs portandis sine capello. Quando etiam vere portari debebunt de regione in regionem, faciendum est eis in omnibus fere, quemadmodum in autumno. De qualitatib⁹ verò aëris, quas diximus supra, conuenientes vel inconuenientes falconi portando sine capello, qualiter conueniat aut disconueniat falconi portando cum capello nunc dicamus. Claritas aëris non est inconueniens falconi portando cum capello, cū non videat nec percipiat eam, quemadmodum sine capello percipiebat. Omni etiam falconi qui portatur cum capello, minus nocetur à vento, quàm sine capello, & hoc accidit, quoniam omnis falco postquam impositum est sibi capellum, dstringit alas & plumas suas ad se, ex qua districtione ventus minus potest subleuare falconem desuper manum quando portatur. De alijs autem qualitatibus aëris dicendum, quod sicut conueniebat & disconueniebat falconi portando sine capello, sic conueniunt & disconueniunt falconi portando cum capello. De locis verò per quæ portari debet, dicatur quod per illa loca per quæ portabatur cōuenientius ciliatus quàm deciliatus, per illa eadem portabitur multò conuenientius cum capello quàm ciliatus, & longè conuenientius quàm deciliatus. Cætera autem quæ dicta sunt de falcone portando sine capello, vsque ad relaxationem ciliaturæ, & vsque ad remotionem ciliaturæ, si mansuefactus erat totaliter, fienda sunt

372 DE ARTE VENANDI CVM AVIB.

sunt similiter in falcone portando cum capello, & si falco portandus erit cum capello per longum iter, mansuefiendus est in via, eo modo quo mansuefiebat ille qui portabatur sine capello. Si autem contingat quod dum falco portatur à pedestri vel equestri per viam, expellat per inquietationem suam capellum de capite suo, & pro eo quod corrigiola non fuit retenta intra digitos vt docuimus, ipsum capellum cadet in terram, si falco est agrestis & non ciliatus, qui etiam sine capello nolit stare quietus, si falconarius qui portat ipsum est eques, det tiratorium falconi, dicens alicui, quod porrigat sibi capellum, ipse verò secēdat à capello gyrando equum, taliter quod ille porrigat sibi capellum ex parte illius manus, super quam non portatur falco, & sic quod non veniat à tergo falconis, si verò solus est, dato tiratorio falconi, descendat de equo quanto suavius poterit, & accipiat capellum & imponat falconi, deinde ascendat super equum. Si verò pedester est, vel faciat sibi porrigi, vel ipse idem accipiat, & reimponat. Si autem falco iam assuetus est ad capellum, facile erit capellum recolligere & falconi reimponere. De capello autem in quibus communicat cum tiratorio, & in quibus differt est dicendū, vt inde videatur in quibus vnum magis sit vtilereliquo. Conueniunt autem in hoc, quod sunt ad vnum finem, scil. ad mansuefaciendum falcones, nam per tiratorium & capellum se permittunt melius tractari & teneri ab homine, & in eo quod vtrinque prohibent falcones à modis

modis inquietationum, quæ suprà dictæ sunt, quæ prohibitiones ab inquietationibus, sunt ad salutem eisdem falconibus, corporum, viriū, & pennarum, & in eo quod ambo faciunt ad defendendum inquietationes per aliquem de sensibus falconis, & in hoc conueniunt, quod genera falconum omnia possunt mansuescieri per capellum & tiratorium. Differunt autem, quoniam ad quem finem peruenit vnum per vnā viam, & vnā operationem, peruenit aliud per aliam viam & alio modo. Nam capellum claudendo visum falconis, eum prohibet inquietare: tiratorium verò delectando gustum falconis, facit eum cessare ab inquietationibus suis, & si ostendatur tiratorium falconi, & falco ipsum videat, assecurabit se magis, & plus sustinebit hominem appropinquare sibi, quàm si ostendatur ipsi capellum, & cum tiratorio permittit se leuari super manum conuenientius de sede sua, cuiuscunque modi sit sedes, quàm cum capello, & tiratorium inducit falconem ad habendam audaciam cum homine, capellum verò non, & cum tiratorio facilius præparabuntur pennæ & ungues falconis, si habuerit pennas læsas, aut ungues ineptos, sicut docebitur infra, & facilius parabuntur in suis partibus iactū & apponetur campanella, & cætera omnia tam de medicinis quàm de alijs quæ fienda sunt circa falconem, quorum sci. omnium tædet ipsum, habilius fient cum tiratorio quàm cum capello. Capellum verò magis vtile est ad quædam alia quàm tiratorium, quoniam cum capellum

Z

claudat

claudat oculos falconis, si falco est pinguis, aut
 valde agrestis, aut timidus, ex quib⁹ tribus cau-
 sis forte nolet tiratorium, & se inquietabit, fa-
 ciet cessare inquietationes, quod tiratoriū tunc
 facere non poterit, cum falco nolit tiratorium,
 & cum capello tenebitur falco facilius in vno
 statu carnositatis, quàm cum tiratorio. Nam
 cū tiratorio non poterit esse quin fiat augmen-
 tum pastui falconis, ex quo sequitur, quod erit
 carnosior debito. Etiam per capellum denega-
 rur falconi videre, & visio sua est causa sibi plu-
 rimum inquietationum: Sic per capellum prohi-
 bētur illæ inquietationes quas facit ex eo quod
 videt: tiratorium verò non prohibet adeo be-
 ne ipsas, cum non prohibeat visum ma-
 ior occasio inquietationum & diuerberationū
 per visum quam per alium
 de sensibus. Et falco habens capellum in capite,
 magis se permittit tangi & tractari manibus, &
 minùs pauescit tangi, cum manus tangentis nō
 videat, quàm si haberet tiratorium & non ca-
 pellum. Item cum falconem necesse sit dari, vt
 retineatur ab aliquo imperito, minùs inconue-
 niens sequitur si dabitur cum capello quàm si
 cum tiratorio: imperitus namque cum capello
 poterit tenere & portare falconem, quod cum
 tiratorio facere nesciret, & leuius est ei impone-
 re & extrahere capellum, quàm vti tiratorio
 circa falconem, & falconarij possunt diuidere
 carnes pro pascendis falconibus, & possunt pas-
 cere vnum in presentia aliorum, si capellum te-
 neant in capite suis. Cum enim falcones car-
 nes

ne exhibitas alijs vel exhibendas non videant, non se inquietabunt propter illas, & hæc non possent fieri ita conuenienter cum tiratorio, & dum tiratorium esset datum vni, statim alius hoc videns inquietaret se pro auferendo tiratorio. Item duo falcones si capellum habuerint in capite, poterunt portari simul super eandem manum, si necesse fuerit, quod omninò nõ posset fieri cum tiratorio, quiuis auferret tiratoriũ alteri, & se inuicem comprehenderent & læderent. Item si duobus falconibus, quos contingit aliquando simul super vnam manum portari,

Reliqua in autographo desiderantur.



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Handwritten text in the middle section of the page, appearing as a single line.



Small handwritten characters or numbers at the bottom left of the page.

**ALBERTVS
MAGNVS**

DE

Falconibus, Asturibus & Accipitribus.

Z 2

I N D E X.

- Capit. 1.** De natura Falconum in genere.
- Capit. 2.** De colore falconum.
- Capit. 3.** De proprio actu falconum secundum genus suum.
- Capit. 4.** De vocatione qua vocant & vocantur falcones.
- Capitul. 5.** Quod 17. sunt genera falconum, & de primo quod Sacrum vocatur.
- Capit. 6.** De genere falconum qui gyrofalcones vocantur.
- Capit. 7.** De genere falconum quod vocatur Montanarium.
- Capit. 8.** De falconibus qui peregrini dicuntur.
- Capit. 9.** De gibbofo genere falconum.
- Capit. 10.** De falconibus nigris.
- Capit. 11.** De natura falconis albi.
- Capit. 12.** De natura falconum rubeorum.
- Capit. 13.** De falcone qui habet pedes azurinos.
- Capit. 14.** De falcone paruo qui Mirle vocatur.
- Capit. 15.** De genere falconum qui Lanarq̄ vocantur.
- Capit. 16.** De generibus permixtorum falconum, & de modo ipsius commixtionis falconum.
- Capit. 17.** De regimine domesticationis, & regimine audacia, & regimine sanctatis falconum.
- Capit. 18.** De curis infirmitatum falconum diuersis, secundum Guillelmi falconarium.
- Capit. 19.** De curis infirmitatum falconum, secundum falconarium Frederici Imperatoris.
- Capit. 20.** De regimine accipitrum & infirmitatibus, secundum experta Frederici Imperatoris.
- Capit. 21.** De regimine asturum, secundum experta Guillelmi.
- Capit. 22.** De regimine domesticationis accipitrum & regimine aucupij.
- Capit. 23.** De regimine omnium avium rapacium, secundum Aquilam, Symachum & Theodotionem.
- Capit. 24.** De alijs duobus generibus falconum, & de locis habitationis eorum, & de definitione accipitrum.

ALBERTVS MAGNVS

DE FALCONIBVS, ASTVRIBVS, ACCIPITRIBVS.

Ex libro eius

XXIII. De animalibus.

Capitulum I. De natura Falconum in genere.

Falconum naturam, quam multi scire cupiunt, subtilius describere cupientes, primo naturam generis eorum describemus: Deinde diuersitatem describemus suarum specierum, & tertio de disciplinis aucupandi cū eis ponemus, & quarto & ultimo infirmitates auium rapacium omnium, cum suis congruis medicinis adiungemus. Incipientes ergo dicimus, quod genus falconum quatuor habet propria, quibus ab omnibus alijs rapacibus auibus discernitur, primum est figura corporis, secundum calor, tertium proprius actus, & quartum sonus vocis, figura enim in genere omnibus conueniens, grossius habere caput, & collum breuius, & similiter breuius rostrum, & pectus maius, cum osse pectoris acuto, & alas longiores, & caudam habere contractionem, & crura breuiora & fortiora habere, respectu sui corporis, ceteris auibus rapacibus. Horum autem membrorum dispositionem determinantes, definimus ea quæ conueniunt generi falconum respectu aliorum generum auium rapacium, quia licet dixerimus caput debere esse grossum, non tamen enormitas capitis laudanda est, eo quod hoc accedit ad figuram auium noctuarum, quæ omnes capita habent enormia, & sunt timidæ, eo quod enormitas capitis earum potius indicat materię superfluitatem quam virtutis magnitudinem, & similiter est intelligendum de capite rotundo, non enim omnino rotundatur caput bo-

num alicuius animalis, eo quod in cōcauo spherico nimis
 diffliunt spiritus, & male adunantur, sed cum in asture
 anterior capitis elongatum, stringatur paulatim & ter-
 minetur in rostrum, sicut & aquilę caput stringitur, ca-
 put naturale falconis non prolongatur, nec stringitur,
 ita quod rostrū quasi videtur spherę appositum, & frons
 eius ex rotunditate dilaturatur, & superius cranei planum
 deficiens à rotundo, & maxillares partes bene rotundę
 & curtę, talis enim dispositio est humidi cholericici bene
 mobilis & bene audacis, quia etiam falconis inter aues
 proprium est cito moueri in prædam, & non discernere, &
 plus audere quam possit. Similiter autem dico de colli
 breuitate. In genere enim breuiatur collum falconis
 plusquam aquilę & asturis & nisi, sed immoderata bre-
 uitas vituperatur, quia attestatur aut phlegmaticę fri-
 giditati aut siccidati melancholicę, cum virtutis dimi-
 nutione, & accedit ad proprietatem noctuarum, & sicut
 diximus, in physiognomia, nõ potest esse quod aliquod a-
 nimal participet figuram alterius, & non habeant aliquid
 de moribus eius secundum naturam. Similiter autem
 licet dicamus crura secundū naturam falconum debere
 esse curta, tamen coxas longas in eis laudant omnes qui
 naturam norunt falconum, quia cum crus moueatur ex
 coxa, si coxa esset curta, dispositio esset complexionis fri-
 gidę & malę. Sit igitur coxa longa & bene pennata, &
 crus curtum & pes bene patulus & digiti fortes, & præ-
 cipue in nodis articulorum, & vngues fortes, & magis
 aliquantulum ad interius pedis curuati. Omni autem
 eodem modo, determinantes caudę breuitatem secundū
 genus, cōparatione habita ad astures & nisos loquimur,
 nimia enim breuitas in similitudinem vergit zuetę & bu-
 bõnis nocte volantium. Sit igitur longitudo ita, quod
 compositę alę se super caudam attingant, vel fere attingant,
 in extremo longiorum anteriorum pennarum, &
 ab illa coniunctione cauda non multum descendat, nec
 dependeat sicut asturis cauda vel nisi, quia longitudo
 caudę

cauda super humorem nuchæ descendens, attestatur & timiditatem designat.

Capitulum 2. De colore falconum.

Color autem falconum generi conueniens, est in facie habere maculas nigras in maxillis, & albas circa foueas oculorum, vtrique ex vtraq; parte rostri, & cilia habere nigra, & cinereum subnigrum colorem in craneo, & dorso, & superiori colli, & exteriori alarum, & in exteriori caudæ, & in alijs esse plenum varietate quasi virgulatim descendente, interruptis quinque virgulis, & ista varietas semper quidem habet nigredinem pro colore vno, sed in primo anno secundus color est rufus remissæ rubedinis, & secundum quod sæpius mutatur, magis & magis albescit. Color autem oculorum est vehementis croceitatis, ita quod rufedini appropinquat, & acies siue pupilla nigra, & color pedum optimus croceus, multum vergens ad albedinem, & quominus albescunt eo ignobilior est falco, & si vergunt in hyacinthinum colorem siue saphyrum, est color ignobilis non significans nobilitatem, eo quod ille color fit ex resperso fumo terrestri super pellem pedum, & attestatur pigritiæ & timiditati melancholicæ, & ideo tales falcones eleuati in altum stant suspensi, & antequam ictum dent euadit ab eis præda, & si quandoq; tales boni inueniuntur falcones, fit ex multo labore & exercitio, sicut etiam aliquando homo iners per naturam, efficitur bonus exercitij studio. In dictis tamen coloribus pedum & pennarum differunt falconum species, sicut patebit in sequentibus, sed secundum genus, is qui dictus est color est falconum, tam in toto quam in partibus, & is quidem qui est in capite, secundum aliquid conuenit quibusdam nocte volantibus rapacibus auibus, & in tantum appropinquant generositati falconum, sed quia figura magis indicat complexionem quam color, ideo remouentur simpliciter a falconum nobilitate, hæc igitur de colore dicta sunt.

Capitulum 3. De proprio actu falconum secundum
genus suum.

Proprius actus falconis inter aues rapaces, est impetu ferri in prædam, & ideo cauendum est falconario ne statim falconi prædam ostendat, sed potius aue aliquantulum remota dimittat falconem, ne se subito præcipitet. Cum autem prædari vult, est falconis celeri volatu ascendere, & compositis vnguibus ad pectus impetu in auem descendere, ita forti conatu, quod sonum quasi torrentis venti descendens excitet, & tali impetu ferit nõ diametraliter siue perpendiculariter descendens, sed ex obliquo, quia tali descensu percutiens, incidit vnguibus longum vulnus, ita quod aliquando auis à capite vsque ad caudam diuisa decidit, & aliquando toto capite truncato inuenitur. Cum autem inter omnes duos motus duæ sunt quietes necessario, & motus falconis sit motus ascensionis & descensionis, est boni falconis inter ascensionem & descensionem quasi nihil quietis interponere, sed postquam descenderit aliquando auem inferius volando præuenire & impedire, donec à socio qui ascendit feriat, sic enim optimũ fit aucupium, quando duo socij falcones vel plures se inuicem ad inuicem adiuuant, fit etiam nonnunquam quod superior falco superius sequitur auem, donec videat eam esse in proportionato situ percussionis, sed multum cauendum est, ne quasi alis suspensis stare assuescat, quia hoc signum est timiditatis, & quod non nisi reptilia terræ audeat inuadere; quia vero falconis est ictu pectoris percutere, dedit ei natura in anteriori lati ossis in pectore, additamentum triangulare forte, cuius prominens & rectus angulus est in superiori pectoris, & est durus valde angulus & fortis, & super illum sunt vngues pedum, & posteriori vngue findit quod percutit. Subito igitur in præceps descendens est optimus. Stans autem in alto suspensis alis, degenerat in naturam auium quæ lanarij à philosophis, à vulgo autem germanicè Syvemere dicuntur. Venatur autem solus

solus bonus falco & est actus eius qui dictus est, sed melius venatur cum socijs vel socio, quia in ascendendo vel descendendo necesse est moram fieri, & in illa elongatur præda si socius non impediatur, & hæc est causa quod licet falco auis iracunda sit, sicut & omnes aliæ rapaces aues & diligat quod sit solitaria, tamen propter adiutorium tempore venationis diligit socios, & conuidit cum socio prædam sine pugna, quod nõ facit astur vel nisus. Iste igitur falconis est proprius actus omni falconi secundum genus conueniens. Et quia sicut diximus temere attentat omne quod obuiat, oportet falconem habere mitram oculos tegentem quando defertur in manu, & tempus nõ est volandi, ne nimis conetur ad volatum, quia cum sit bonæ alæ, frequenter volare desiderat, & ideo retardandus est a falconario; huius etiam alia causa est, quia cum oculos clausos habet, & postea mitra deposita aliquid apparet, quasi ex admiratione citius inuadit & magis audacter, & etiam ex hoc quietius domatur ad homines, & obliuiscitur societatis alienæ.

Capitulum 4. De vocatione qua vocant & vocantur falcones.

Sonus autem vocis falconum generaliter est grossior & proluxior, & ab acuto in grauius procedens, quam asturum vel nisorum, & cum reclamantur a falconario non sibilo, sed voce magna ad modum reclamationis canum reclamantur, nec reuocantur ad modum canum sed potius circūducitur in chorda quiddam ex quattuor alis vel pluribus ad modum auis colligatum, cui caro recens superligatur. Falcones tamen aliquando nimis vocant, & tunc aut iracundi sunt, aut nimis macie confecti ex cibi subtractione, & tunc vel capitegio sunt obumbrandi si iracundi sunt, vel amplius reficiendi si macie sunt confecti, quia nocet mulcum ad aucupium quando falco nimis clamat, eo quod ad clamorem eius fugiunt aues antequam falco in proportionali sit distantia ad capiendum

plendum. Similiter etiam quandoq; cum reclamantur à falconario non redeunt, & maximè falcones qui dicuntur montanarij, & hoc cōtingit ex duabus causis, quarum vna est indignatio iræ suæ quod forte euasit præda sua, alia est nimia repletio, ppter quam cibum fastidit, & tunc si à bono falconario nutritus est à iuuentute sua, non oportet multū curare, quia deposita indignatione iræ aut postea esuriens domum redibit, hoc enim fidelitatis habet falcones & nisi, quod bene nutriti, & edocti ad domicilium reuertuntur sicut columbæ. Ego enim iam vidi falcones qui sine ligaturis intrabant & exibant, & nobis comedentibus super mensam veniebant, in radio solis se extendentes coram nobis, quasi blandirentur nobis, & quando venandum erat, in tectis stantes & fenestris exhibant, in aëre super homines & canes volantes ad campū, & quando volebat falconarius redibant ad reclamatorium. Si autem non bene domiti sunt, tunc causa propter quam non redeunt est horror hominis, & in illis cauendum est, ne dimittantur nisi tempore famis, quia tunc consuescunt redire ex cibi desiderio. Hæc igitur de voce qua vocant falcones, & de voce ea qua vocantur à nobis dicta sunt intantum.

Capitulum 5. Quod 17. sunt genera falconum, & de primo quod sacrum vocatur.

QUæ autem ad nos deuenerunt, sunt decem genera falconum nobilium, & tria alia genera sunt ignobilium falconum, & tria sunt mixta ex nobilibus & ignobilibus, & vnum quidem mixtum, quod quia non omnino est ex ignobili parente valde inuenitur efficax ad venandum. Primum autem genus nobilium falconum est quod quidam sacrum vocant. Symachus autem vocat ipsum Brittanicum, & quidam vocant ælium, quasi ærinum falconem. Quidam autem hoc dicunt æriphilū, quasi ærem amantem falconem, & de hoc superius diximus quod amat alte volare, indignans ad parua, crura habet

habet grossa & nodosa, vngues crudeliores quàm aquila, aspectum terribilem, oculos valde flammeos, ex citrino in rubedinem declinantes, caput magnum & rostrum fortissimum, iuga siue complicationes alarum magnas, & quasi super exhibitas, & hoc solum inter falcones habet caudam longam, est autem in magnitudine aquilæ fere, & sub ipso nec aliqua volat, nec aliqua auium rapacium propter timorem, sed statim vt viderint sacrum cæteræ aues, clamantes, fugiunt ad condensâ arborum, vel ad terram, & potius permittunt se manibus capi quam ad aërem liberum veniant, volant autem duo simul, & ideo domestici efficiuntur, quod in vna pertica sedent, & sequuntur hominem, ac si nesciant esse nisi cum homine, & non est auis magna quam non statim dejiciant, nec vnam sufficit eis dejicere, sed quotquot obuias habent dejiciunt, capiunt etiam capreolos, & vnguibus lacerant oculos & cerebella eorum. Volunt autem delicatissime nutrirî, semper recentibus, præcipuè cordibus & cerebellis, & sanis valde carnibus, quod adeo recentes sint, quod adhuc calentes vitali calore, iam expirante animali sint. allatæ, & fere comedunt tantum quantum aquilæ magnæ, hoc genus falconum regale est, & diutissimè volans, & sequens prædam, & non deserens ad duo vel tria, vel etiâ quatuor horarum spacium. Socialiter autè prædatur melius, sed solitarium etiam optimè venatur, & diligit hominem, & canes venaticos & præsentibus eis venatur libentius, quasi gloriatur in viribus in præsentia eorum. Habent autem ea quæ diximus omni generi falconum conuenire, tam in guttis faciei quàm in figura, quàm etiâ in proprio actu & voce, sed vox eius est & certifica, & raro vocat, & cum reclamatur, oportet quod reclamans ipsum alte clamet & voce sonora, eo quod alte & longe volat, & quod reclamatorium sit valde magnum vt longè videri possit. Si tamen non cito redit, non erit periculum, quia per seipsum redire consuevit ad domicilium, hoc igitur est genus falconum nobilissimum & primum.

Capit.

Capitulum 6. De genere falconum qui gyro-
falcones dicuntur.

GENUS secundum nobilium falconum est gyrofalconum genus, à sacrorum genere proximo gradu distans. Est autem gyrofalco figura & colore, & actu, & voce perfectam naturam habens falconis, sed quantitate maior est asture & minor aquila, & dicitur gyrofalco à gyrando, quia diu gyrando acriter prædam insequitur, nec dignatur ad parua, sed aues magnas insequitur sicut grues, & cignos & huiusmodi. Est autem hic falco avis pulchra valde, non longa secundum proportionem sui corporis cauda, alarum iuga valde habens decencia & fortia, & crura habet plana, non nodosa, vngues satis fortes, & præcipue posteriores, & solus venatur, sed melius cum alio, & inter cæteros falcones consuevit stare magis erectus, & pennis bene compositis, & in venatione diu insequitur prædam, & ideo venator indiget veloci equo in quo insequatur eum, & doctis ad hoc velocibus canibus qui auxilientur ei quando prædam dejicit. Est autem hic falco præcipue docendus, ne in aqua prædæ insideat, quia frequenter distat à falconario & lædi posset in aqua, & ideo non secundum longitudinem aquæ iaciendus est ad prædam, sed tenendus donec aues extra ripam in aëre appareant, & tunc gyrofalco ex parte aquæ iaciendus est ad ea, quia tunc propter motum gyrofalconis ad aquam redire non audent. Si autem ex parte campi dimittitur gyrofalco, tunc aues ad aquam fugiunt vel euadunt, & si percussæ fuerint, in aquam decidunt, & tunc falco prædam sequens læditur vel mergitur, & si euadit timidus efficitur propter venationis læsionem, sub isto etiam gyrofalcone alij falcones & astures non bene volant, nec etiam aquila de facili concreditur cum ipso. Vult autem cibari delicatis & recentibus, & adhuc vitæ caliditate calentibus & sanis carnibus, delicatis autem dico sicut his quæ cordi sunt propinqua, quia illæ magis sunt

sunt digestæ, huiusmodi autem signum est, quod quando syluester prædam accipit, non inuenitur comedere de prædâ nisi cor, & postea quæ cordi sunt propinqua, versus alam dextram, & rarò versus sinistram. In calidæ complexionis auibus, sicut in columbis & palumbis & huiusmodi auibus recentibus etiam vult vesci, & huius signû est, quia nullum genus falconum, vel asturum, vel nisorum, ad reliquias prædæ suæ renertitur quando est syluestre, sed quod superest vni cibo dimittit, & cum iterato comedendum est nouam prædam insequitur, & hoc non faciunt aquilarum genera. Falcones autem, cadaueri non insident sicut aquilarum & miluorum genera. Vitali ergo calore calens adhuc caro confert gyrofalconi, & hoc probatur ex hoc, quod prædam syluestris gyrofalco prius comedere incipit, quam occidat, sana etiam carne delectatur, & ideo non approbo, quod quidam gallinæ viuz coxam, vel alam extrahunt, & postea secunda die de eadem gallina extrahunt aliam partem falconi ministrandam, quia iam pro certo sanie infectum est gallinæ totum corpus remanens, & infectum calore febrili, qui in omni corpore suscitatur in generatione saniei, & ideo gyrofalconi quæ delicata est auis, huiusmodi non conuenit cibus, studere enim debet sapiens falconarius, vt in arte cibandi sequatur naturam quantum potest, quam naturam perfecte ostendit gyrofalco, quando sibi syluestris dimittitur, & sic diu gyrofalco in suo proficit vigore naturali. Si autem secus fiat, paulatim destituitur & infirmatur & moritur. Hæc igitur duo quæ dicta sunt falconum genera, sunt prima & nobilissima, inter ea quæ ad nos venerunt.

Capitulum 7. De genere falconum quod vocatur montanarium.

Montanarium genus falconum nobilitatis est tertiz in natura. Est autem breue & spissum valde in corpore, & præcipuè est breuis caudæ, & valde spissæ,

spiffz, pectoris valde rotundi & magni, & fortium crurium breuium respectu sui corporis, & nodosorum pedum, & fortium vnguium, & habet hoc in consuetudine quod frequenter respicit pedes, & est in dorso & exterius in alis coloris cinerei, & ille color secundum quod proficit per mutationes pennarum in annis, efficitur clarior & magis pallefcit interposita parua & fusca varietate. Est autem hoc falconum genus ferum & malorum morum, & iracundum inconstantis iræ, & imo raro inuenitur falconarius qui ad plenum sciat mores eius, & ideo preceptum est Ptolomei regis Ægypti, quod raro teneatur in manu nisi in aurora, & tempore aucupationis siue venationis. Alijs autem temporibus teneatur in camera obscurissima, & in illis bis vel ter ignis clarus, non fumosus accendatur, nec teneatur in manu, præter præinducta tempora, nisi cum cibandum est, quia ex hoc mirefcit ad manum falconarij sicut ad beneficam, & mansuescit & iram deponit. Quando autem irascitur non est ei multum a falconario resistendum, quia ex hoc magis frangitur ira ipsius. Hoc autem genus falconis bene est in spiffitudine accipitris siue asturis, licet sit multo breuius eo, & habet pedes valde pallentes, & crura quasi squamosa squamis sese prementibus, & figura eius quando stat ab humeris, est quasi pyramidalis, si imagnetur pyramis aliquantulum in dorso compressa. Hoc genus falconum est, quod præcipuè indignatur in euasione prædæ. Ita quod aliquando ex ira reuocantem se inuadit, & lacerat falconarium in capite vel facie, & aliquando lacerat faciem equi cui infidet falconarius, & aliquando inuadit canem, & aliquando vnus falconum inuadit alium, & ideo oportet falconariū in tali casu valde esse patientem, & non aduersari, sed patienter dissimulare reuocationem, donec deposita ira mitescat animus falconis, & si etiam reuocatus montanarius, non rediret ad reuocatorium, non oportet multum curare, nisi quod caueat ne ab alio capiatur, quia deposita ira per se ad domicilium falconari

conarij reuertetur, propter autem huiusmodi mores non est abjiciendum hoc genus falconis, quia miræ est audaciz in inuisione magnarum auum, ita quod aliquando aquilam inuadit & occidit, & à sapiente falconario præcauendum præcipit Ptolomeus, quia si ultra vires ad fortes aues frequenter dimittitur, quando incaluerit ira eius immoderatè, præcipitat se in mortem, & talem casum iam in alpibus quidam de nostris viderunt socijs, Falcone enim montanario de rupe veniente, prædamque sequente auem quæ perdix vocatur, aquila contra quam prædicta perdix volauit prædam præripuit, ad quem montanarius falco impatientia iniuriæ stimulatus à prædicta aquila prædam præreptam nitebatur accipere, sed cum aliquandiu nitens perficere intentionem non posset altissime ascendit, & deorsum torrendo veniens ictum in caput aquilæ dedit, & seipsam peremit & aquilam. Ab huiusmodi ergo furore montanario semper præcauendum est. Iste falco frequentius inuenitur quam præinducta duo falconum genera, & mirabiliter gaudet in feritate sua, & imo frequenter de isto genere inueniuntur falcones, quibus non sufficit vulnerare vnã auem & dejicere, sed gloriantur in hoc quod multas dejiciunt, & adeo in sua feritate aliquando delectantur quod cibi obliuiscantur, & detinentur crudelitate occisionis auiũ, hæc igitur de montanario dicta sunt.

Capitulum 8. De falconibus qui peregrini dicuntur.

Falconum genus quod vocatur peregrinum, præinducta genera sequitur in nobilitate quarto locos. Vocatur autem peregrinum quibus de causis, quarum vna est & vera, quia semper de terra in terram peregrinatur, quasi omnes peruolans terras, secunda est plus secundum opinionem falconariorum, quod videlicet nescitur nidus eius, nec inuenitur à falconarijs, sed in volatu longe à loco suæ capitur generationis, vtriusq; horum causarum audiui ab expertissimo falconario, qui in

eremo alpium iuxta iuga altissima montium multis annis habitauerat. Dicebat autem quod hi falcones quos peregrinos vocamus, in altissimis & præruptis parietibus montium nidos construebant, nec aliquando patuisse aditum nidi, nisi desuper à cacumine montium homine per funem submisso, quam submissione dicebat frequenter oportere fieri per chordam centum passuum, & aliquando centum quinquaginta, aliquando verò trecentorum vel ducentorum, & aliquando esse impossibile aut propter distantiam, aut propter asperitatem scopulorum, & propter hanc difficultatem euenisse opinionem quod nesciatur locus generationis horum falconum. Dicebat autem se sæpius vidisse quod antiqui prædam pullis ducerunt in antra & rimas talium montium, addidit etiam esse consuetudinis horum falconum, quod parentes post completionem iuuenum expellant eos de loco suæ habitationis, propter paucitatem auium quæ ibi inuenitur, & ideo statim iuuenes egrediuntur ad plana in quibus plures sunt aues, & perueniunt ad terras certam non habentes mansionem vel habitationem. Duobus autem modis hos vidi capi falcones, & eremita prædictus dixit mihi tertium modum. Vno namq; communi modo fere in omnibus terris capiuntur ita, quod rete disponitur patulum, ita quod faciliter conuertitur cum chorda super id quod intenderit auceps, & ante illud extenditur chorda cui alligatur rubeus lanarius, quem vulgo sveimer vocant, & ad chordam dependentem ad eam, extensa chorda alligatur avis, vel laneum aut pilosum aliquod simile aui, ita quod quando chorda extensa trahitur & concutitur ab aucepe, videtur sveimerius auem insequi ad prædandum, & hæc chorda sæpe sic concutitur, quod videns falco, qui forte perinde peregrinatur, in impetu descendit, intendens prædam lanario præripere, & sic deceptus cadit in rete. Alium vidi modum multo meliorem, scilicet lignorum duorum ad modum crucis compositio, & super extrema illorum curvantur duo alia semicirculariter itaq;

ter, itaq; extrema circularum infiguntur extremis lignorum, & inter illas quartas arcuum circularum alia curuantur ad locum intersecationis semicircularum, & inferius infiguntur in ligna ab angulis intersecationis crucis venientia, donec non nisi ad tres vel quatuor digitos distet lignum à ligno, & quodlibet istorum lignorum impletur laqueis à summo vsq; deorsum, & hoc vas fiat ad altitudinem septem vel octo pedum, & ad latitudinem quinq; vel sex pedum, & in ipso disponatur aliqua cauea sex pedum altitudinis, ita quod pede vno distent à se inuisibili latera vasorū, quando vnum est in alio, & in interiori sint ligna per modum trabium super se ab inferiori vsq; ad summum disposita, & aues sex vel septem ponantur in interiori; Illæ enim continue ascendent & descendunt in trabibus, & hoc totum figatur immobiliter super murū castri, vel portam, vel in campo libere, tunc enim falco qui peregrinatur, videns aues, & volens accipere, capitur laqueo, & hoc modo vidi capi falcones optimos. Eremita autem non dixit esse aliud faciendum nisi quod disponatur auis ante rete absq; lanario, quia falco auis se ipsum in rete precipitat, hoc enim modo dicebat se dictos falcones capisse singulis annis. Est autem hic falco qui communiter habetur fere in omnibus ferris, quantitatis minoris quā montanarius, & est curta caudæ & longarum alarum, & grossi capitis & longæ coxæ & breuis cruris, & si habet crura nodosa melior est, albescentia etiam dicitur habere crura & pedes, & est bonorum morum quando bene nutritur. Anas autem, vt communiter, est præda sua, & si bene efficitur audax, per falconarium sapientē capiet ardeam & aliquando gruem, & hoc est summum audaciæ ipsius, hæc igitur de hoc genere dicta sunt.

Capitulum 9. De gibboso genere falconum.

Est autē quintæ nobilitatis in genere falconum falco nobilissimus, quem gibbosum vocant eremita præ-

A a

indu-

inductus, & tres mihi optimos de hoc genere falcones
 quos apud se habuit ostendit, & multos alios se vendi-
 disse asseruit, hoc igitur genus falconum est valde par-
 uum corporea quantitate, sed mirabile virtute & auda-
 cia & strenuitate volandi cum prædam insequitur, quan-
 titas eius parum vincit quantitatem nisi, quem vulgus
 speruerium vocat, & habet in facie guttas sicut peregrinus
 & cætera falconum genera. Gibbosum autem vocatur
 eo, quod propter breuitatem colli sui caput suum vix
 apparet ante iuga alarum suarum, quando super latera
 dorsi componit, & hoc caput respectu quãtitatis sui cor-
 poris est magnum, & rostrum valde breue & rotundum, &
 alas valde longas & valde exortas, caudam breuem, &
 coxas fortes, & crura aliquantulum respectu commensu-
 rationis aliorum membrorũ suorum longa & quasi squa-
 mosa, sicut sunt squamæ serpentum & lacertarum, quæ
 apparent in lateribus ventrium eorum, & pedes habent
 nodosos matriculis digitorum, & præcipue ad interius
 plantę pedis & oculos flammeos ardentes, & est in colore
 aliorum falconũ qui peregrini vocantur, & caput suum
 in craneo est bene planum superius, & retro in capite non
 prominens sed quasi collo continuum, & est facile doma-
 bile & bonorum morum, & nidum facit in rupibus inac-
 cessis, sicut & peregrinũ genus, & capitur euolans de ni-
 do sicut & peregrinum, audacię enim tantæ est & strenui-
 tatis, quod anseres siluestres dejicit & ardeas & grues, &
 est velocissimum genus istud & altissime ascendit, ita
 quod effugit visum hominis, nec contentus est iste falco
 quod vnam auem dejiciat, sed multas vulnerat, & in au-
 cupio plures quærit habere socios, propter sui paruitatē
 & auium quas venatur magnitudinem. Narrauit mihi
 prædictus falconarius satis memorabile de hoc falconum
 genere, referebat enim quod de præfatis gibbosis tres
 cuidam nobili vendiderat, quos dum eremitam secum
 educens probaret, casu inuenti sunt anseres albi siluestres
 & dimissis falconibus anseres altissime volauerunt, sed falco-

falcones tres qui dimissi fuerant anseres ascendendo transierunt, donec visus omnium qui affuerunt effugerunt, & cum post modicum dictus nobilis falcones conquereretur amissos, paulatim anseres vulneribus debilitati cadere circa eos ceperunt, & inuenerunt amplius quam viginti anseres decedentes, & tandem etiam falcones reclamati venerunt supra reclamatorium. Erant autem omnes anseres vulnerati letaliter, ac si cum cultello in diuersis partibus sui corporis fissi essent, & huius causa est, quia falco iste sicut alia falconum genera, cum descendit non statim percutit, sed potius cum à descensione recendere incipit, & tunc posteriori vngula ante pectus disposita ferit, & imo longum vulnus facit & letale, & frequenter adeo fortiter ferit, quod vngulam amputat & seipsum valde lædit in pectore vel occidit. Est etiam genus falconum quod semper quasi ad volandum alas extendit, & est animositas eius plusquam fortitudo ipsius, & vult cibari valde recentibus & vitali calore adhuc spirantibus, & tunc multum proficit. Si autem alijs aliquando cibatur carnibus, caueat falconarius quod leues sint sicut carnes altilium, & recentes aut ad minus non putrentes, & in aqua frigida recentes effectæ, quia aues rapaces debiles valde & subtilis pellis habent stomachum & de facili alterabilem à malo cibo, & ideo ex modica occasione cibum indigestum euomendo reijciunt, & precipite quando graui & melancholica carne cibantur, vel ab ea epaz disposita est ad putrefactionem, hoc genus falconis diu mane & sero vult portari in manu, quoniam quando consuescit manum hominis, libentissime insidet manui & libenter redit ad manum, hæc igitur de gibboso falconum genere dicta sunt à nobis.

Capitulum 10. De falconibus nigris.

Sextum gradum nobilitatis in genere falconum possidet falco niger, breuior quidem in aliquanto falcone peregrino, sed in figura similis per omnia, licet in colore

lore dissimilis sit; quia in dorso & lateriori alarū & caudā totus fuscā habet nigredinem; & in pectore & ventre & laterib9 fuscā habet varietatem; in facie autē guttas falconarias habet nigras, vnde intrinse nigredinis, quæ circumfunduntur quadā caliginosa & fusca palliditate. Crura autem & ungues & rostrum habet sicut peregrinus. Accedit autem hic falco multum ad formam auis quæ butorius vocatur, de qua in ante habitis fecimus mentionē, hunc falconem Fredericus Imperator sequens dicta Guillelmi regis Rogerij falconarij, dixit alium visum esse in montanis quarti climatis quæ Gelbas vocantur, & deinde iuuenes expulsos à parentib9 venisse in Salaminz Asiæ montana, & iterum expulsos nepotes priorum deuenisse ad Siciliæ montana, & sic deriuata esse per Italiam. Modo autem in alpiibus apparent & in Pyrenæis montibus, & deriuata sunt hæc genera in Germaniam, licet adhuc rara sint eo quod pauci inueniantur. Super butem falcones nutritur & audacia falconum peregrinorum. Complexionis autem videntur cholericæ, & quod adustum est de terrestri cholericæ conuertitur in pedas, & ideo nigre efficiuntur ætate accedente, per multos annos aliquantulum albescunt; & probabile est, quod etiā in climatibus calidis nigriores sint quā hi qui nascuntur apud nos, eo quod in calidis locis semel ouale forte calore decoquitur, & ideo quod ex eo produciuntur plus denigratur. In frigidis autem regionibus plus habet aliquando humidum ouale, quod propter perspicuitatem causa est albedinis, & respersum in eodem terrestri causa est varietatis. Cum autem duo sint quæ exterius in corporibus consideramus, animatis figura videlicet & color figura magis indicat cōformitatem vel differentiam speciei. Monedulas enim iam vidimus propter frigus habitationis nasci albas & similiter coruos, cum tamen figura ipsarum indicauerit eas vere de specie monedularum & coruorum esse, & hac ratione videtur hoc falconum genus multum simile esse generi peregrinorum, licet in colore

lore differat, & præcipuè quia sicut diximus, parentes in hoc genere filios cogunt peregrinari à loco suæ generationis, hæc igitur dicta sunt de nigro falconum genere.

Capitulum II. De natura falconis albi.

Genus septimum falconum sibi vindicat falco albus, qui venit à Septentrione & mari Oceano, à regionibus Norvegiæ & Sveciæ, & Estoniæ, & finitimis syluis & montibus. Est autem hic falco ita in varietate subalbidus, sicut is de quo ante diximus est niger, & causa albedinis suæ præcipua est frigus & humor habitationis in qua nascitur, & in dorso quidem & alis est subalbus, in alijs autem locis maculas siue guttas habet valde albas, interpositas alijs guttis subpallidis, & in quantitate maior falcone peregrino, multum accedens ad similitudinem lanarij albi, qui volat in campis insidiando muribus, adeo quod aliqui falconarij tradiderunt hunc falconem natum esse primum ex falcone peregrino patre, & lanaria alba matre, licet hoc non sit verum quod ostendit audacia ipsius, audax enim est valde & bonus, nec deficiens à natura falconis in aliquo, nec habet ex moribus lanarij, cum enim in venatione ascenderit, non stat suspensus alis vt lanarius, sed ferrit statim vt falco, & figura in pedibus & unguibus, & rostro & toto corpore, falconis demonstrat naturam, quantum crura habeat grossiora & nodosiora quam falco niger, quod ei accidit ex complexionem magis humida, quæ magis implet & ingrossat crura ipsius quam crura illius qui ex complexionem est siccus cholericus, quod autem iste falco minus videtur habere audaciæ quam niger, & minus videtur esse velox, propter frigus & humorem complexionis non est omnino sufficiens signum, quia virtus omni animati multiplicatur ex quantitate subiecti, quando naturalis quantitas terminos quantitatis naturalis non est excedens, & ideo virtutis maioris est iste falco quam niger, & ex confidentia virtutis innate sumit audaciam,

& si non est adeo velox in volando vt niger, tamen diutius durat insequendo aues quam niger, & hoc summe attenditur in falcone, corpora enim fusca calida porosa sunt & aperta, & de facili euaporant ab eis spiritus, qui sunt vehicula virtutis, & tunc lassantur & debilitantur, quamuis sint agilia per naturam, e contra autem alba frigida confertas habent carnes, & quia sunt multi humidi, multorum sunt spirituum, & propter carnum confectionem non cito euaporantes, & ideo diu durant in labore, præterea humidum complexionale interius, infundit lacertos & nervos, & calorem qui ex motu fit, non permittit indurari nervos & lacertos, & ideo diu remanent mobiles & habiles ad volatum, & quoad ista falcones albi recuperant id, in quo videntur falconibus nigris postponi. Hæc igitur de his dicta sufficiant, quoniam in nutritura & aucupio nihil vel parum ab alijs distare videntur.

Capitulum 12. De natura falconum rubeorum.

Octauum autem in falconum genere, habet is falco qui rubeus ab antiquis appellatur, non quod in toto rubeus sit, sed quia guttæ quæ in alijs albe sunt, in hoc genere sunt rubeæ, & nigre guttæ sicut in alijs sunt interpositæ, nec in dorso vel exteriori alarum, hic falco rubeus apparet nisi quando alas exerit, tunc fusca in eis apparet rubedo, & hoc genus falconis etiam mendose quidam falconum scribentes naturam spurium esse afferunt, ex lanario rubeo & falcone dicentes esse procreatum, quod omnino absurdum est, eo quod nullam penitus cum lanario nisi coloris habet conformitatem, sed potius ruboris causa est debilis calor infusus superficiæ corporis, qui inflammet fumosum humidum, quod expellitur ad generationem pennarum, & hoc facit media inter album & nigrum complexio, sicut enim in alijs, ita nec in hoc genere de extremo in extremum non venit natura quæ causa ordinis est nisi per media, & ideo

in genere falconum; hoc tangit medium, alij enim colores medij falconum generi non congruunt, eo quod viridis & hyacinthinus & croceus & huiusmodi, ab audaci & rapaci deuiant natura, quia viridis extreme & aquez frigiditatis est indicium, sicut & ex viridis viriditas signum est caloris mortificantis & consumentis. Hyacinthius autem aëream & euanidam indicat complexionem. Croceus autem corruptentem choleram, & licet duo istorum in auibus inueniantur, & tertius in pauone, non tamen conueniunt audaciz, sicut diximus & agilitati volatus. Est autem hic falco non magnus, paululum minor peregrino, sed unguibus & pedibus & rostro fortis, & est valde in volatu agilis, sed non satis diu perseuerans, & domesticatur multum, & efficitur melior, per mutas duas vel tres, sed non est adeo longe vitæ ut alij, & imo oportet eum nuttiri valde recentibus & virali calore adhuc spirantibus, & non supra modum & multis vicibus in die sed in mane & in sero, & oportet eum multum custodiri, ab alterantibus complexionem eius, quia de facili alteratur nec oportet eum vltra mensuram cogere ad aucupium, complexio enim rubea facile vincitur & læditur labore, quamuis facile faciat impetum à principio, propter quod & ætas accedens & aliquantulum temperans, & inflammatum humidam plurimum, huic complexionem conferre auxilium, & præcipue per mutationem pennarum, penna est taliter rubea, fragilis & mollis est, & ipse laborem volandi diu non sustinet nisi frangatur, & hæc omnia sapientem oportet aduertere falconarium, hæc igitur de falcone rubeo commonuisse sufficiat.

Capitulum 13. De falcone qui habet pedes azurinos.

Norum falconum genus iam declinans à qualitate nobilium falconum est id, quod est hyacinthini pedis siue azurini, quod quidem in quantitate & figura simile est siue æquale falconi peregrino, sed dorsum eius & exterius alarum non est adeo nigrum, & etiã

albius est in pectore genus istud quam falco peregrinus, & alæ eius nõ adeo longę sunt sicut illius, sed cauda eius est longior aliquantulu, & vox eius est acutior, eo quod magis est humidę siue phlegmaticę complexionis, & audacia eius est multo minor in inuadendis auibus, quia id quod est azurini pedis, raro inuadit aues maiores quã est pica vel cornicula. Peregrini autem & alij falcones maiores quaslibet aues inuadunt. Ex hoc autem contingit, quod quando istud quod azurini pedis est surgit in altum, vt det impetum, ex timiditate stare incipit, & suspendi alis, & non præcipitanter ruere in auem, & hoc quidem habet ex natura. Ex disciplina autem & adiutorio iuuantis ipsum hominis, frequenter sumit audaciam maiorem, sed non sicut verus falco, in auibus vero rapacibus est sicut in militum fortitudine, in militibus enim non desunt ex natura debiles, & ex complexione minus audaces, qui tamen ex scientia militandi & vsu frequentis victorię, & experientia hostes aggrediendi & expectandi, & ferendi, & insidiandi, & declinandi, & ex confidentia sociorum adiuuantium, sæpissimè nobiles faciunt triumphos, & similiter est de isto genere, quod licet sit timidum, per naturam tamen audaciam accipit à falconario sapiente, & vsu deijciendi & tenendi aues, & ex confidentia iuxta se positi falconarij melius & audacius foris quàm ex natura, sicut etiam & speruerius siue nisus, huiusmodi audacia etiam fortiores se multo inuadit, sicut est auis minor, & aliquando maior, nec mirum, cum etiam lanariorum genera hoc modo inuadentia & capientia efficiantur, quorum naturalis timiditas & tarditas tanta est, quod non nisi mures inuadunt, vel forte pullos auium non adhuc volantes, sed currentes in terra, vel nidõ iacentes. Qualiter autem auis timida per disciplinam, audax efficiatur, posterius erit manifestum.

Capitulum

Capitulum 14. De falcone paruo, qui mirle vocatur.

Decimum & vltimum falconum genus est id, quod quantitate minimū est, quod & mirle vocatur, & vulgariter smirlin vocatur. Hoc autem genus licet à præinductis quantitate deficiat, tamen à nullo eorum deficit in audacia viribus suis proportionata, & præcipuè quando animositas sibi est ex peritia & vsu, & spe auxiliij ex p̄p̄inquo sibi perito falconario, ita quod Vvilhelmus falconarius dicat, cū talibus se aliquando gruem capisse, aues enim suis viribus proportionatz sunt alaude, & plus perdix & columba, nisi vt diximus vires ex arte iuuentur. Est autem hoc falconum genus guttatum in vultu, sicut alia omnia, & longissimarum alarū respectu sui corporis & caudæ mensuratz, & crurium & pedum planorum citrinorum, & est minus quam nisus, habens quasi quantitatē nisi quem muschet vocant, & quando est syluestre, capit carduellos, eo quod celerrimum est & insidiosum, & in capiendo ascendit & descendit feriendo sicut & alia falconum genera, quod quia fere omnibus notum est, hæc ad cognitionem eius dicta sufficiant.

Capitulum 15. De genere falconum qui lanarij vocantur.

Falconum autem ignobilium genera sunt tria, quæ antiqui aucupes, vt Ptolomæo tradunt, Aquila Symachus & Theodotion, lanarij potius quàm falcones vocantur, & hoc vocabulum quidam germanicorum imitantes, eo suo idiomate lanete vocant. Quidam autem suæmere vocare consueuerunt, & sunt butherij quidem mures in campis insequentes, per colores differentes, quia sunt albus & niger, in quantitate falconum, & rubeus, qui minor est qui mirle imitatur. Isti autem, in primis cum iuvenes sunt, propter humorem, & hebes calidum, nullius quasi sunt audaciæ, sicut & pueri omnes sunt timidi. Cum autem mutauerint se bis vel ter, & pusillanimitas naturalis per artem medicamen acceperit, efficitur

efficiuntur columbas & anates accipientes. Est autem pars ista præcipuè tenenda, quod primo anno quando domesticantur, non cibentur nisi auibus viuuis, & quando parum deplumauerint, dimittantur aues de pedibus eorum euadere, non ad volatum primo, sed ad cursum, & cum sæpius has insequi didicerint, dimittantur euadere ad motum mixtum ex volatu & cursu: & cum iterum hoc frequenti iteratione didicerint, dimittatur auis euadere ad volatum tardum, qui est auis cuius curtatae sunt pennae alarum, & tandem dimittatur euadere ad volatum perfectum, & in omnibus his fortissimè alta voce puocetur & incitetur, & ad tenendam auem adiuuetur à falconario, qui ex his sumet audaciam, & tunc secundo anno paruae aues in magis grandiusculas commutentur, & tertio iterum in maiores, quia omnis auis ex huiusmodi, simul & peritiam & audaciam accipit aues quas falconarius voluerit capiendi, licet enim primæ nobilitatis falcones hoc non indigeant, quæ sunt octo primorum generum, tamen pro certo multum confert ad audaciam & peritiam omnium augendam, hæc igitur dicta sunt de disciplina falconum.

Capitulum 16. De generibus permixtorum falconum, & de modo ipsius commixtionis falconum.

CUM autè quodlibet horum generum, cui libet permisceatur, multa sunt falconum genera. Sed quæ ad nos deuenerunt, sunt quatuor: Falco enim peregrinus frequenter permiscetur ei qui est pedum hyacinthinorum, & quando hæc permixtio fuerit ex peregrino patre & matre pedis hyacinthini, valde parum declinat à nobilitate, quia sperma masculi operans est & faciens, & formans per spiritum qui est vector paternæ virtutis in subiectam feminæ guttam, & efficitur partus patrem imitans, licet parum coloris azurini respargatur in pedibus, quando autem e conuerso fuerit ignobilis pater & mater nobilis, partus efficitur multum declinans ad ignobi-

ignobilem patrem, & partum habens nobilitatis mater-
 naz; & sicut diximus, quod horum duorum falconum fit
 permixtio, ita peregrinorum, qui ad omnia loca fre-
 quenter solitarij volant, fit aliquando commixtio cum
 lanarijs nigris, & aliquando cum albis, & aliquando cum
 rubeis, & propter spermatum vicinam & consimilem
 complexionem, & impregnationis ouorum & foeti-
 nis, idem temporis spacium semina permixta se inuicem
 mouent & conuertunt, & complent, & permanet
 partus procreatus, & generat ex sibi simili; sicut fit in
 mulis auibus & alijs animalibus, vt patet per ea quae in
 antehabitis huius scientiae libris conscripta sunt. Hae
 autem permixtio fit quando diuersarum specierum sibi
 in complexione vicinarum falcones tempore luxuriae
 conueniunt, non inuenientes suae speciei sexum, cui per-
 amisceantur, & licet diximus quatuor genera taliter per-
 mixtorum falconum ad nos deuenisse, ratio tamen exi-
 git multa esse, & plura quotidie posse fieri talia falconum
 genera, & hanc putamus esse causam quod tam diuersa
 genera falconum, in diuersis regionibus inueniuntur.
 Quamuis enim climata mores & colores diuersificent,
 tamen specierum tam similium diuersitatem, causat praecipue
 permixtio quam diximus, sicut in generibus anserum,
 & generibus canum & equorum fieri vidimus tempore
 nostris. Et non hoc solum fieri probabile est ex
 falconum generibus permixtis, sed etiam ex falconum
 cum asturibus & nisus, & aquilarum generibus, multae
 probabile est fieri diuersas compositiones ad diuersarum
 compositarum auium rapacium generationem, sed in
 dictis quatuor generibus praecipue diximus fieri falconis
 peregrini commixtionem, eo quod peregrini mox
 compelluntur a patria a parentibus, & frequenter sepa-
 rantur, propter praedam & iram, & cum suae speciei ad-
 iutorium non, inueniunt ad similia quod inuenire pos-
 sunt alterius speciei se tempore luxuriae conuertunt, &
 cum conuertuntur ad id quod est pedis azurini, sicut si-
 mile

mile peregrino est id quod procreatum fuerit, dum autē conuertitur ad lanarium nigrum, efficitur ignobilis falco niger vel nigro similis, & dum conuertitur ad lanarium album, efficitur id quod generatum fuerit simile falconi albo, & dum permiscetur lanario rubeo, fit falconi rubeo in colore & figura similis, & hi quidem mixti falcones facilius iuuantur arte quam hi qui omnino sunt ignobiles, & præcipue si pater sit nobilis, eo quod multū habent ex altero parente nobilitatis, sicut etiam in præhabitis istius scientiæ libris diximus. Si tamen e contra aliquando mater sit nobilis & pater ignobilis, erit quidem quod partum fuerit minus nobile, sed tamen per bonam disciplinam accipiet meliorationē, & præcipue post unum annū vel duos, & modo prouocationis quem paulo ante diximus, hæc igitur de falconum generibus & naturis dicta sunt, per hæc enim & alia poterunt cognosci.

Capit. 17. De regimine domesticationis, & regimine audaciæ, & regimine sanitatis falconis.

His ita discursis, de regimine & medicamentis falconum differamus; regimen autem falconum in tria diuiditur regimina, regimen videl. domesticationis, & regimen sanitatis, & regimen infirmitatis. Domesticationis autem regimen duos habet fines quorū vnus est, vt affuescat manum hominis; Alter autem est vt audax & præceps in captura auium efficiatur. Primum autem regimen perficitur, si nunquam nisi super manum tiberetur, quia ex hoc manum consuescet & diliget, ex beneficio inclinante animum ipsius, sicut dicit Symachus. Primo autem quando domesticandus est, ab ante lucem pileo induatur & teneatur in manu vsque ad tertiam, & tunc detur ei coxa gallinæ, & cum comederit pone eum supra gramen, & pone ante eum aquam, vt balneetur si velit, & post permittite eum stare ad solem, donec se bene purgauerit, & postea mittatur in locum obscurum vsque ad vesperum, & demum resumatur ad manum, & teneatur in

tur in manu vsque ad primum sonum, & reponatur in loco obscuro, & accende ignem clarum vel lucernam ante eum, per totam noctem vsque ad matutinum; & postea pilea eum, & sta cum eo aliquamdiu ad ignem, & scias quod hi qui in nidis completi sunt, meliores sunt, & fortiores habent pennas, si tamen aliquando de nidis accipiuntur ante complementum, ponatur in nido sibi facto, prout melius poterit ad similitudinem nidi de quo sumptus est, & detur ei frequenter caro pullina, quia est temperata, & aliquando detur ei caro recens vrsina, quia illa est faciens, & firmans pennas, & nisi hoc modo teneatur debilitatur alis & coxis, ita forte quod frangitur ala vel coxa, confert etiam multum quod manu ante completionem non tangatur, postea autem cum completus fuerit ad manum & ad capellum, caueatur primo ne vnquam aliquid duritiæ experiatur in manu, sed semper beneficam & blandientem inueniat eam. Ad audaciam autem videl. quod sæpius aues viuas accipiat & comprimat & occidat, cum clamore quo incitari solet à falconario, & sicut superius diximus, sæpe euadentibus de sub vnguibus eius, per solertiam falconarij iterum capiat, & dimittatur per se vincere aues, & caueatur ne aues possint eum ledere vnguibus vel rostro, quia si iuuenis falco sentit nocumentum ab aibus pusillanimus efficietur. Si autem crebro sine nocumento vicerit & occiderit, audaciam accipiet & crudelitatem in aues, semper etiam ista fiant cum magna incitatione falconarij, & in præsentia canum & mutantur aues continue, & per successionem temporis fortiores exhibeantur, & cum perfectus est ad aucupium primo. in aurora orto jam sole digestus falco ad aues dimittatur, & siquidem est audax & bonæ voluntatis ad capiendum inuenitur, custodiatur & teneatur in ea in qua tunc cum custodia & dispositione cibetur, de aibus quas tunc cæperit donec per se facietur, & hoc fiat tribus vel quatuor diebus in quolibet aucupio. Si autem in primo aucupio, forte piger & non voluntarius inuenitur resume eum

eum ad manum, & intermitte aucupium, & illo die non
 ciba eum, nisi de dimidia coxa gallinæ, & repone eum in
 obscurum, & sequenti die dimidiam coxam gallinæ in a-
 quam frigidam pone, & in illa coxam illam tene vsq; ad
 tertiam, & tria purgatoria, quæ vulgariter germani Guel
 vocant, & sunt aliquando de pennis, sed melius sunt de
 bombace, & in tertia da falconi dimidiam illam coxam,
 cū tribus purgatorijs dictis, & cum comederit pone eum
 in obscuro vsque ad vesperum, & in vespera iterum ciba
 eum cum purgatorijs, vt dictum est, & tunc in mane vade
 ad aucupium, & si audacter & auide cæperit, tene eum in
 tali in quali tunc est maceratione. Si autem nec tunc
 quidem voluntarius ad capiendū extiterit, resume eum
 ab aucupio, & non des ei illo die, nisi tria de quibus dixi-
 mus purgatoria ex aqua frigida & nihil amplius, & si in
 crastino mane adhuc inuoluntarius sit ad capiendum, ci-
 ba eum de coxa parui pulli imposita in forti aceto, cum
 tribus purgatorijs de bombace factis, hoc modo pone in
 obscuro vsque ad vesperum, & postea tene eum in manu
 vsq; ad primum somnum, & calefac aquam & balnea eum
 in aqua calida, & postea pone eum sub djuo ad serenum,
 si non est tempus pluuiiale vsque ad mane, & tunc calefac
 eum ad ignem super manum tuam, & tunc egredere ad
 aucupium, quia si tunc non præcipitanter capiet, pro cer-
 to infirmus est & languidus. Iste autem quem nunc do-
 cuimus modus maceratio vocatur falconum. Et attende
 quod quidam aliter quam nunc diximus conficiunt fal-
 conum purgatoria. Sumunt enim carnem, & repositam in
 aceto forti comprimunt in puluerem factum de pipere
 trito & mastice & aloe, & dant falconi, sed talia purga-
 toria nulli aui rapaci danda sunt, nisi quando viscera eius
 repleta sunt humore viscoso phlegmatico. Sanitatis au-
 tem regimen est, quod maxime sapiens falconarius, fal-
 conem cibat cibo & horis & quantitate qua siluestris ci-
 bari consuevit, & præcipue carne leui auium & adhuc
 calore vitæ spirante, & teneat eum inter maciem & pin-
 guedinem

guedinem, quia macies nimia diminutis viribus auferat audaciam & inducit pusillanimitatem, & facit clamorofum falconem, & quando dimittitur à manu, residet in terram iuxta falconarium & clamat. Pinguedo autè nimia pigritiam & fastidium aucupij inducit, teneatur ergo medium, ita quod gloria virium non defit falconi, & indigentia inanitionis stimulet ad prædam, non ex defectu, sed ex desiderio famis naturalis, & hoc optime fit quando non cibatur secunda cibatione, nisi prius digesta & egesta sit præcedens. In his tamen considerationem adhibeat homo peritus, quia quidam falcones melius capiunt, si medium transeant ad pinguedinem declinando, quam quando sunt infra mediocritatem in macie, & quidam econuerso melius capiunt macilenti. Sed nullus capit ex macie defectus, nullus etiam bene capit nimia pinguedine repletus. Amplius diuersarum complexionum sunt falcones diuersarum maxime specierum, & illi quidè qui nigri sunt melancholiz signum habent, & illis oportet dare magis cibum sanguineum, qui est calidus & humidus, sicut carnes pullorum, & columbarum, & hædorum & huiusmodi, & si medicatur, calidis medicinis vtendū est, sicut pipere aloes paulino & huiusmodi, albi autem sunt phlegmatici frigidi & humidi, & mali chymi quibus oportet dare calida & sicca, tam in cibis, quam in medicinis, sicut sunt carnes hircorum canicularum & mulorum picarum & passerum, & huiusmodi, & piper, & cinamomum, & galanga, & huiusmodi. Qui autem habent pennas rubeas, abundant inflammato sanguine, & his danda sunt frigida & humida, eo quod frigida sicca mortificantia sunt, sicut carnes pullinæ & aues aquaticæ, & aliquando gambari, & cassia fistula, & thamandi medulla, & hæc omnia dentur in aceto. Sunt etiam quidam falconum nobiles in eadem falconum specie, quibus secundum hoc regimen suæ vitæ adhiberi oportet. Falco enim nobilis in qualibet specie falconum est, qui habet caput moderate grossum & superius planum, & alibi ro-

tundum rostrum curuum, & bene grossum, & moderate longum, spatulas amplas, pennas alarum & coxas longas, pedes latos sparsos & macros, & qui frequenter pedes suos respicere consuevit. Ignobilis autem in eodem genere est, qui deficit ab aliquo vel pluribus istorum, & ignobilis aliquando tantum vel plus valet ad aucupium quam nobilis, & secundum hoc oportet considerare falconarium, ad vngues autem & pedes custodiendos, caueat ne vnquam permittat falconem stare, nisi supra lapidem viuum vel super murum, & caueat ne calce stet vel cemento calcinato, vnde non approbo, quidam in perticis, quidam in cratibus tenent falcones, ars enim naturam imitari debet, & siluestres semper inueniuntur sedere in petris vel in terra. Caueat etiam a fractura pennarum sæpe rigando eas aqua calida, de tertio in tertium diem ne nimis exsiccentur, & eisdem diebus detur ei aliquantulum de aloë, quia stomachum & intestina confortat, & purgat, & fortificat pennas, & si nimius humor in causa sit quod debitam fortitudinem non habent, caro qua cibandi sunt, primo ponatur per duas horas in succo facte ne contusis rafano & lumbricis terræ, hæc enim ambo exsiccant & indurant pennas, sed præcipuè caueatur ne violenta læsione pennæ lædantur alarum vel caudæ, hæc igitur & huiusmodi consideranda sunt in regimine falconum & aliarum etiam auium rapacium.

*Capitulum 18. De curis infirmitatum falconum diuersis
secundum Guillelmum falconarium.*

Nunc de medicinis morborum auium rapacium differamus. Vt autem ordinatius hoc faciamus, ponamus primo de medicinis falconum, deinde de medicinis asturum & nisorum, tertio quedam medicinalia tractemus, quæ vtrisque in communi conueniunt. Prima autem falconum infirmitas est dolor capitis, qui in hominibus soda vocatur, huius signum est, quod falco claudit oculos, & mouet caput in partes diuersas, tunc igitur tollatur

tollatur lardus & misceatur cum pipere trito, & detur ei manducare, & alternis diebus detur ei aloë aliquantum cum carne pullina, quia iste dolor capitis est ex vapore stomachi & ideo per talem cibum curatur purgato stomacho. Quando autem aperit rostrum quasi extensiones habeat, & alices, & percutit cum rostro pedem vel econuerso, signum est quod habeat malum humorem in capite, & imo tunc torquendus est cum stilo argenteo vel aureo ad nares, vt humor exeat, & postquam exierit vngatur coctura oleo oliuæ vel butiro, si oleum non habetur. Quando autem sternutat & proijcit aquam de naribus, signum est humefactionis cerebri immoderatæ. Cura autem huius est quod tria grana saxifragiæ cum totidem granis piperis in mortario lapideo, vel cupreo optime conterantur, & puluis idem confectus cum aceto forti distemperetur, & cum bombace in nares falconis, & in palatum ipsius eijciatur, & postea cibetur carne pullina. Quando autem collum falconis inflatur, signum est guttæ membra colli infundentis calidæ, & ideo tunc deplumandum est collum, & minuendus de vena auriculari, vt gutta ad generationem regenerandarum pennarū extahatur, & detur falconi rana ad comedendum, quam si digesserit, pro certo sanus erit. Quando autem guttur siue arteriam quæ canna vocatur, inflatam habet & sufflat ac si suffocari debeat, pro certo reumatismum patitur, & sic curatur, sumatur de sanguine pauonis & muscatis, & mirabolanis chebolis, & de gariofilis, & de cinamomo & zinzibere æqualiter de qualibet vna vncia, & fiant inde nouem pillulæ, & cotidie detur sibi vna ad tertiam, & postea ad nonam cibetur carne muris. Signum autem mali in renibus est & guttæ, quæ infundit renes quando non potest saltare, & alis extensis se à manu longe eijcere & redire, sicut aues facere consueuerunt, & hæc gutta à quibusdā mortalis vocatur, tollantur enim grana quæ crescunt in spina alba, quæ germanice *Hagedorn* vocatur, quæ sunt grana rubea, & contunde ea, & com-

misce cum pilis leporis, & hoc totum misce cum carne
 cocta, & ciba eum tali cibo vsque ad nouem dies. Si enim
 talem cibum retinuerit sanus erit. Est autem quedam a-
 lia gutta quæ filera aut nullis vocatur, quæ quando de-
 currere incipit per corpus falconis, quasi veneni naturam
 habet, & tunc acumen rostri & acumina vngularum fal-
 conis dealbari incipiunt, & hæc curatur ita quod accipia-
 tur serpens niger, qui tyrus vocatur, & abscindatur à ca-
 pite eius palmus, & tantundem à cauda & hæc reijcian-
 tur, & quod remanet frigatur in olla noua, & pinguedi-
 nem quæ inde eliquatur collige, & detur falconi calida
 cum carne pauonis successiue per octo dies, & postea ac-
 cipe porcellum cum aqua calida depilatum, & sumatur
 tenerū pectoris cum mure paruo, & detur ei comedere,
 quem cibum si bene digesserit absque dubio sanus erit.
 Quando autem falco leuato pede sæpe percutit cum ro-
 stro crus suum, scias quod habet guttam falsam, & tunc
 minue sanguinem de vena, quæ est inter crus & coxam
 & sanabitur. Quando autem falco pediculis grauat
 accipiat argentum viuum, & commisceatur cum sputo
 hominis, & commoue donec moriatur argentum viuum,
 & postea huic toti iunge anxugiam veterem & misce
 omnia, & inde vnge caput falconis, & intinge fila & cir-
 cumliga collo eius, & morientur pediculi, vel aliter ac-
 cipe piper & grana sylvii & tere simul, & coque in olla
 noua, & immitte aquam, & inde laua eum & sanabitur,
 vel aliter, coque saxifragiam in aqua, & permittite eum
 balneari, & postea substerne ei linteamen album, & pone
 super gramen vel lapidem, quia super linteamen omnes
 pediculos excutiet, & similiter facit omnis avis rapax.
 Signum autem quod falco habeat febrem, est si pedes eius
 ultra modum calent, & tunc accipiat aloe & auxugia
 gallinæ, & mittatur in forti aceto, & detur ei interpolate
 ad manducandum, & alia vice detur ei testudo, quam
 limacem vocant, & si tenuerit hunc partum sanabitur.
 Quando autem falco carnem quidem rostro laceratam
 accipit

accipit, sed statim vel post modicum non per digestionem, alteratam reprojicit, tunc procerto viscositatem duram habet in struma & stomacho & in intestinis, quæ à quibusdam petra vocatur, tunc igitur fiat pulvis de gariofilis & spargatur supra carnem passeris, & detur sibi alternis diebus, & alternis detur sibi pipio siue purgatorium, & si tenuerit hanc dietam sanus erit. Quando vero longe non egerit, istius eiusdem infirmitatis est signum, tunc detur ei cor porcinum cum seta porcina minutatim incisa, usque in diem tertium & liberabitur. Si vero falco lumbricis affligitur in ventre, & in egestionibus eius aliquid apparuerit de talibus, limatura ferri & maxime chalcidis depurati supra carnem porcinam spargatur, & falconi detur usque in diem tertium & sanabitur. Si vero pennas eius tinea consumit, accipiatur cera rubea muscata, mirabolani, salsgemmæ, gummi arabici, grana tritici, & pone in forti aceto omnia hæc & dimitte in eo per nouem dies in aliquo bacili siue pelui, & postea repone in ampullam & laua quotidie de ipso falconem, siue aliam auem rapacem, donec bonam & emundatam senseris peruenire, & postea cum aqua rosacea laua auem & sanabitur, dum soli post loturam exponetur, de prædictorum autem quolibet pone in aceto æqualiter, sed de cera quæ omnia continet, pone longe plus quam de alijs, aliter etiam dicunt quidam, quod si tinea cum acu de corio extra hatur, & deinde cum aloë lauetur, & postea hæc lotura cum emundata fuerit, cum aqua rosacea deponatur, valet plurimum, sed caueatur ne rostro se tangat, quam diu aloë est supra eum, quia nocet plurimum. Aliquando enim infusionem patitur sicut equus, & huius signum est, quod pastum non accipit & habet oculos grossos, quasi ex ventositate eleuatos, & tunc fiat lixiuum de sarmentis vitis & coletur ter, & impleatur inde guttur falconis, & sic dimittatur donec egerendo se, cibum quem sumpserat digessisse demonstret, & postea detur ei lacerta ad manducandum. Vel aliter accipiatur vinum calidum cum pipere trito, &

infundatur in gulam falconis, & teneat donec digestum teneat cibum, quo infusum fuerat & liberabitur.

Pedes falconis inflati non per violentiam, podagram significant, & contra hoc accipiatur butirum & oleum oliuę æqualiter, vtriusque vna vncia & aloë vncia vna, & ex his insimul commixtis vngantur pedes ipsius vsque ad diem tertium & ponatur ad solem, & da ei comedere carnem catti & sanabitur, vel aliter incende lincinium factum de carne bombacina, & cum illo coque plantam pedis falconis, & tunc supra petram viuam pone, quę petra vncta sit cum auxungia veteri, & liberabitur, & interim da ei comedere mures. Si falco se pedibus peccit & scalpit, & pennas de cauda trahit & eijcit, patitur pruritus, & contra hoc accipiatur sterco anseris, & ouis, & aloë de quolibet equaliter, & in forti aceto posita mittantur in vase creto sub solem calidum & serenum per tres dies, vel ad ignem lentum, si calor solis non habeatur, & ex illo totus falco balneetur, & detur caro columbina cum melle & pipere, & reponatur in obscuro, & sic fiat per nouem dies, & quando apparuerit penna bona de cauda veniens lauetur cum aqua rosacea & sanabitur. Si autem fluit in eo gutta aëris & acuta, accipiatur sterco anseris vel columbæ, cum cortice radicis vlmi & buliatur radicis cortex in aqua, donec ipsa aqua rubea fiat, & tunc distemperetur sterco in aqua, & inde lauetur falco per tres dies & liberabitur.

Si autem falco vulneratus fuerit, accipiatur albumen oui & oleum de oliua, & hæc simul mixta ponantur supra vulnus, & caueatur ne locus læsus ab aqua tangeretur, & cum hoc superpositum mutare forte volueris, laua locum cum vino calido, & sic facias donec locus læsus acquirat crustam siue corticem qui vulnus claudat. Si autem vulnus ipse falco tetigerit, pone ibi aliquantulum de aloë, & si forsitan vulneratus fuerit sub ala, vel in pectore, vel in costis, vel in coxa, imittatur stuppa grassa bene trita cum cultello, donec mala caro corrodat, & postea

postea accipiatur thus, & cera æqualiter, & sepum, & resina, & distemperentur ad ignem omnia hæc in olla, & reseruetur, & quando necesse sit, vngatur, & de illo liquefacto ad ignem inunctio fiat cum penna, donec verruca claudatur vulnus, & si apparuerit ibi mala carnositas, imitatur vrtica græca vel viride eius, donec corrodat, postea vnge locum de vnguento albo, & sanabitur.

Si autem coquenda est avis rapax, antiquorum græcorum est sapientia, quod prima coctura fiat sub lachrymali oculi, hoc enim prodest visui. Secunda autem fit in summitate oculi, & prodest capiti. Tertia fit supra nodum alæ, & valet contra guttam. Quarta fit in planta pedis, similiter contra guttam crurium. Vtiliores autem sunt omnes cocturæ, si in mense Martio fiant. Si quandoq; sanies de falconis naribus fluit, & comedere non poterit, & ipsa fames foetorem prætenderit, fistula est in loco, & sic medicanda, accipiatur posterior pilus capitis, & auxugia, vel butirum, si auxugia non habetur, & vena quæ de naribus ad oculos vadit, incidatur, & cum acu ferrea calefacta comburatur vena incisa ex alia parte quàm à parte fistulæ, & locus quotidie cum butiro perungatur, & falco in loco calido reponatur per nouem dies, & sanabitur. Si autem falco vngulam à radicibus perdidit, non recrefcit, sed digitus pedis in calido mure aperto est colligandus, & cum medulla pedis & digiti porcini postea inungendus donec sanetur, similiter quando falco balneatus fuerit, caueatur, ne supra lignum putridum reponatur, ne inuenenatur. Si autem inuenenatus fuerit falco, accipiatur theriaca, & tria grana piperis, & dentur falconi contrita cum petra, & custodiatur falco per nouem dies, & tunc iterum theriacam & piperis grana combure in testa, & puluerem sparge super carnem, & sic cibetur falco. Si autem aliqua bestia falconem momorderit, oportet quod deplumetur locus vbi est morsus, & si est parua, amplificetur cum rasorio, & tunc vngatur cum butiro calido, & demum fiat commixtio de olibano refr-

na, cera & sepo, & vngatur cum illo donec sanetur. In hac autem cura quam posuimus, præcipue experta Guillelmi Regis Rogerij Falconarij secuti sumus, pauca de nostris adjicientes.

Capitulum 19. De curâ infirmitatum falconum, secundum falconarium Frederici Imperatoris.

DE curis autem falconum aliter quidam, dicta falconariorum Frederici Imperatoris sequentes, determinauerunt sic: si caput falconis purgandum est, tolle picem mundissimam ad fabæ quantitatem, & digitis calefac eam ad ignem, & postea tam diu cum ea palatum falconis frica donec ibi adhæreat, deinde accipe quatuor staphisagriæ grana & totidem albi piperis, & fac subtilissimum puluerem, & impone eum super picem palatò falconis adherentem, & de eo quod de puluere remanet, immitte in nares falconis, & cum sol bene incaluerit ipsum, in sole tam diu dimittas, quousq; omnem sui capitis malitiam & phlegma de capite defluens expurget per spumam, sicq; per duas dies pasce eum suauis & dulci carne.

Ad palatum autem restringendum, si forte capitis humor in ipsum fluit, sume vetus butyrū & chelidonium æqualiter, & exinde factum puluerem in calida carne da falconi. Contra maculam verò oculorum falconis, sume piper & aloe æqualiter trita, & super maculam pone, & si tempus fuerit vt acacia, quæ sunt pruna spinarum syluestrium, habere possis, tres guttas acaciarum super macula instilla, quia valebit multum.

Si autem pulmo vel canna pulmonis falconis læsa sit, sume stercoris passeris & muris æqualiter vnciam vnam, & piperis albi grana quinq;, salgémæ vncias duas, lanz succidæ vnciam vnam, & hæc tere omnia, & misce cum eis mellis & olei puri, vtriusq; equaliter sex guttas, & lactis fæminæ masculum lactantis, & quæ eundem peperit guttas noue, & de butiro quantum sufficit, & misce hæc

hæc omnia, & forma ex eis cum lacte tres pillulas ad quantitatem auellanæ, & mitte in gulam falconis, & tene eum per duas horas in manu, vt totam euomat potionem, & cum totam vomuerit, post modicum pone eum iuxta aquas, & siquidem ex eis biberit post modicum pasce eum pulmone, & corde lactantis agni, & nondum herbam pascentis, & sit caro calidior quàm esse poterit, postea alia carne suauis pasce eum assidue, in sero autem da ei sufficienter de passere & pullo, & sanabitur. Si autem ostenderit se bulsum siue infirmatum in pulmone, sume auri pigmenti triti vnciam vnam, piperis granuouem, & hæc tunc insimul cum carne calida, falconi tribue. Iterum autem tolle tria lardi frusta, qualia falco deglutire possit, & melle ea intinge, & eis limaturam ferri super asperge, & in gulam falconi immitte, & hoc fac per triduum, & nihil aliud omnino tribuas ei, quarto vero die tolle porcellum tenerum, & eundem vino forti & claro inebria, & calefac pectus inebriati ad ignem, & cum bene calefactus fuerit, tunde pectus eius, vt sanguis vino infusus in pectus ascendat, & occide porcellum, & statim ipsum pectus sic calidum in calido capræ lacte intinge, & falconem per aliud triduum tali cibo pasce, & sanabitur. Si autem anguillæ, hoc est, lumbrici longi, comedunt falconem, tolle tenerum pullum pudillum siue intestinum aqua bene lotum, & fac inde tres nodos ad mensuram medietatis pollicis, & ex vtraque parte firmetur liga tenui filo, & imple oleo lucidissimo, & ponatur in gulam falconis, sicut & alia potio poni consuevit. Si autem in crastinum adhuc læditur lumbricis, sumatur rasura eboris & stercoris, & passeris indici siue solitarij, & si non habetur, sumatur stercus alterius passeris communis, vtriusque æqualiter vncia vna, & hæc puluerizentur & cum carne calida falconi tribuantur. In tertio autem die si adhuc perseverant, abstrahatur cruda pellis piscis quæ tinca vocatur, quem germani Sligen vocant, & in calida testa sine fumo & flamma super carbones cõ-

büratur, & fumatur cum hoc rasura eboris, passerumque stercoreis æqualiter de omnibus, & terantur omnia hæc, & simul mixta cum calida carne ministrantur, & si necesse sit, quarto die limatura ferri, & git contrita his addantur, & puluerizata cum carne calida ministrantur.

Contra omnia vitia renum, puluerem candriæ, & si non habetur, nasturtijaquatici in corde pulli tribue & confert. Iterum fumatur arboris quæ quercus dicitur, & boli æqualiter, & hæc trita cum carne pulli calida, qui ex vino inebriatus sit, falconi ministrantur, & sanabitur de omni vitio epatis. Contra fastidium autem & siccitatem, ouum cum lacte caprino fac bullire vsq; ad duritiem sine fumo in sartagine mundissima, & ad edendum sibi tribue, & si digesserit liberabitur, proficit enim contra omnem infirmitatem.

Contra tineas autem si pennas falconum deuorant balsamum purum in foramine de quo penna excidit imitte, & scias quod tinea remouebitur & penna noua suborietur. Adhuc autem croci orientalis puluerizati vnciam vnam, luti stercoreis anserini recentis per pannum colati coclearia tria, & totidem aceti fortissimi sumantur, & in vase æreo tamdiu dimittantur quousque cum flore ipsius ad spissitudinem deueniant, deinde per tres vices loca ex quibus pennæ ceciderunt aceto puro lauentur optime, & cum illis loca perungantur. Aliter autem sanguisugæ supra tegulas incendantur, & fac puluerem, & pauonum pennas super fumum ignis pone, & de fuligine illis adhærente fiat puluis simili pondere cum priori, & cum forti aceto, sed non multum liquidum confice, & deinde laua forti aceto loca vnde pennæ ceciderint, & deinde lardi particulas intinge, in hoc quoque confecti de pulueribus quousque adhæreant, & perunge loca vnde ceciderint pennæ bis in hebdomada quousque pennæ reueniant. Item equi pilos longos contritos tenuissime supra carnem falconi in cibum tribue. Item piretri puluerem cum rasani succo & forti aceto distempera, & tineas inde punge & sanabitur. Ad-

Adhuc aliter vire bufonem, & fac puluerem, & in pastum falconi tribue, ad idem valet si ferri limatura falconi in pastum cum carne tribuatur. Si autem falconascétias in pede habuerit, mediam iuniperi corticem sicca & puluerem fac subtilissimum, & tribue sibi per nouem dies alternis diebus cum carne, & curabitur. Si autem pedum patriatur inflationem, aloë & albumen oui simul tere, deinde quære cotem in qua sæpe acutum est ferrum, & in qua ferri aliquid inhæret, & super illam ita diu puluerem frica, quod omnis acutio quæ in cote est, in puluerem transeat, & tunc pedibus inflatis suppone, ita diu donec crustam faciat, & pedi hæreat, & sequenti die optime sapone perunge, & tertia die age vt videris expedire.

Si autem mala caro alicubi in falconis corpore creuerit, accipe calchiam, & aloë equaliter, & fac puluerem & superpone, & sanabitur, ad pedes etiam falconis sanandos mille folij saxifragæ verbenæ, & plantaginis æqualiter accipe, & puluerem tritum, cum calida sibi da carne, & pro certo sanabitur. Si autem famem inordinatam falco habuerit, muris sanguinem melapij semen æqualiter sume, & commixta da falconi, & sanabitur. Itē scito, quod quando falconem accipis, & vis ire ad aucupium, debes dicere: In nomine domini volatilia sint sub pedibus tuis. Quando verò mane accipis falconem, dic quem iniquus homo ligauit, dominus per aduentū suum absoluit. Quando autem fascinatus fuerit, ranunculum in puluerem redige, & da ei in carne calida. Vt autem hominem non deferat. Sume apium mentam nigram, & petroselinum, & simul tere, & cum calida carne sibi tribue. Ne autem lædatur ab aquila, dic: vicit leo de tribu Iuda, radix David alleluia, hæc tamen vltima non ita rationalia sunt sicut prima, hæc igitur sunt quæ de medicinis falconum dicta cum experimento prudentium inueniuntur, sapiens tamen falconarius per experimentū pro tempore his addat vel minuatur prout auium complexio-

ni viderit expedire, experientia enim optima est in omnibus talibus magistra.

Capitulum 20. De regimine accipitrum, & infirmitatibus secundum experta Frederici Imperatoris.

IN hoc capitulo conuenientia medicamina asturibus, quos supra accipitres nominauimus, ponemus, eo quod astures siue accipitres Theodotion ad Ptolomæum Regem Ægypti scribens, in falconum generibus collocauit omnem auem rapacem, cuius vsus est in aucupio, falconem vocans. Quod igitur in antehabitis prætermisum est, hic ponemus, vt continuus, & completus sit tractatus. Dicamus igitur experta Frederici Imperatoris sequentes, quod substitiosus sit accipiter in pennis varia signa defectus producens, quæ hunc grimal Germanice vocantur, pro certo hic morbus ab interioribus procedit corruptis, & est corruptio maxime in radice pennarum, fiat igitur cõmixtio de stercore hominis, quod vim theriacæ habet, & de sale, & in illa intingantur plumæ accipitris, & mittatur etiam de eo in fundamentum pennarum vbi carni infiguntur, & sanabitur, deinde aquam bibat, & caro qua cibandus est, intingatur in iure barbæ Iouis. Item accipe maluam & sarutegiam cum adipe porcino, & coque multum, & in os accipitris immitte donec inde tria coclearia consumas, postea dabis ei integrum, fel porci vel pulli cum calido porci pulmone, eumq; donec sanetur, quotidie ieiunum in mane potabis aqua, ad vesperum vero ciba eum butiro. Si autem accipiter frigore tactus in pectore læsus sit, ex causa frigoris illius, accipe grana staphisagriæ & tere in mortario, & adiunge pisani & mel quantum sufficit, & frica inde palatum accipitris, & pone eum ad solem. Item semen eius herbæ quæ radix vocatur, accipe cum ruta agrestis & pipere æquali pondere & tere, & cum melle pone commiscendo, & fac inde pillulas ad modum piperis, & da ei per triduum, & hæc fac quotiens frigus eum tetigerit, aut ex frigore solutus

Iutus stercus nimium fecerit. Item succum marubij & puluerem piperis & modicum mellis, & semen apij cribellatum cōmisce, sic vt duæ partes sint de succo & vna de melle, & quando famescit & feruenter escam desiderat da ei. Item ad pectus accipitris curandum fac de menta puluerem, & cum melle misce, & da accipitri in escam. Item radicem sinapis & trifolium æquali pondere trita, & cū lacte & oleo hyssopino in escam dabis accipitri, quia multum prodest. Item nasturtium cum melle mixtum in carne porcina datum multum confert. Si autem asmaticus fuerit accipiter, regulam coctam contritam dabis illi cum carne calida & sanguine hirci, per tres dies, tollesq; succum absinthij, & infunde eum inter pellem & carnem in coxa gallinæ, & misce lac asini, & da sibi comedere. Quando autem accipiter cibum per tres dies inguttare sine digestionem tenuerit, fac lixiuiam de cinere sarmenti vinearū, & bene colata, da sibi cum carne calida per duos dies, & alijs tribus diebus, dabis ei carnem caprinam cum butiro & puluere masticis, quando autem cibum oblatum nō vult sumere, sed carnem oblatam rostro à se remouet, commuta sibi aliam carnem, dando carnem de grue & granum vnum staphisagrie sub lingua eius pone, & statim euomet carnes sumptas. Si vero omnino vis eum soluere & laxare, sume illam quæ radix vocatur, in qua non sit aliqua adhuc pullulans vena viridis, & scinde eam in tres partes, ad quantitatem auricularis digiti, & acue vtrumq; ad modum grani hordei & inuolutum in butiro, da sibi comedere & demum pone eum ad solem & laxabitur. Vt autem sit sanus semper nec viscera eius restringantur, coque brachia & ramos thaluarum in aqua, donec tota aqua consumatur, & postea siccatos tere fortiter & pone in aliquo vase butiro pleno, & in illo coquantur fortiter, & postea coletur hæc sicut colatur cera, & de pinguedine relicta in colatura ciba accipitrem sigillatim per vices. Si autem pinguedinem istam refutauerit, detur ei cum carne de cotto.

Ad hoc

Ad hoc idem aliud est expertum, accipe enim ebolum rutam maluam serpillum, & de roremarino plusquam de alijs aut de sauina si non habetur rosmarinus, & adipem porci qui nunquam comederit glandes, & omnia simul trita, & contusa fac bullire in vino, & postea exprimere quasi ceram, & da in cibum accipitri in serq per noctem, & non infirmabitur. Si autem accipiter pe pluribus mutis fuerit, Kalendis Ianuarij in mutam mittatur.

Sed si pullus eiusdem anni fuerit, mittatur in mutam in Kalendis Iulij, & vescatur de auibus viuis si poterunt inueniri. Item gariofilos & semen feniculi cum carne comedat, domus autem mutæ apta & ampla sibi quærat, & de muta quando perfectus est trahatur. Si autem in muta pennas non cito projerit, serpentem varium qui inter alios minus habet veneni, & Germanice Huter vocatur, cum tritico coque, ex quo tritico & viru serpentis gallinam ciba & pora, & illius gallinæ carnibus refectus accipiter, & pennas deponit, & morbum si quem habet expellet, Solidarum quoque nouarum pennarum plurimum decoratus longo viuet tempore, & iugiter sanus & hilaris erit. Item pisciculi minuti fluuiales puluerizentur, & puluis super carnes accipitri dandas aspergatur, & cum carnibus muris accipitri ad comedendum dentur, tunc enim proculdubio cito mutabunt. Item lumbi porci sanguine agni intincti, & incisi dati sibi idem quod dictum est citius operantur. Item puluis lacertæ viridis combustæ idem facit. Item grana sambuci in Septembri sub terra fodias, & postea ordeum in eis madefactum gallinis tribuas, & illarum carnes tribue, & si alias etiam tribueris in succo prædictorum granorum intinge, & confert plurimum. Item sanguisugas incisas per se vel cum carnibus offer accipitri, & si volueris comburendo fac inde puluerem, & offer ei cum carnibus. Item mures vini sibi dati seu etiam minutatim fracti, & in gula sibi positi profunt. Si vero pennas fregerit, incide aliam pennam illi similem, & fractæ pennæ inferas. Si autem

autem fregerit pennam in concauo arundinis, pone aliam accipitris pennam, vel si habere non potes pennam, cornu in illam infere cum acu ferrea, vel cuprina in medio quatuor angulos habente, ita quod ex ambobus partibus acuti fiant, quæ quidem facere vsu & experientia melius disces quàm doctrina libri istius. Si autem accipitrem volueris macrum fieri, da ei allium tritum cum pulegio, vel carnem macram de bacone falso sumptam, quæ per noctem in aqua stetit comedat, & postea quater aquam bibat. Si autem econtrario impinguare volueris, dimitte eum per plures dies otiosum, & da ei lumbum porci, & carnem gallinæ pinguium, & semper ab vno homine pascatur, & qui portat eum, ferat in equo ambulante, & detur ei sæpins cerebrum veruecis siue arietis. Si vero à sole læsus sit, aquam rosaceam in naribus eius immittas, & mel cum carne caprina comedat, & expue vinum quasi ex sufflando in faciem eius. Si autem quando post prædam vadit, læsus fuerit à tempestate, aquam tepidam super scapulas eius subjice, ita tamen quod pennas eius prius aperias, & sic de aqua superfundas tantum quod per renes vsque ad pedes eius perueniens, distillet hoc enim multum proderit. Si vero in interioribus pro venatione infirmatur, noctuas calentes adhuc & vesperiliones per triduum comedat, & si accipere voluerit tres offas carnis porcinae intinctas in aceto comedat, hoc enim etiam fastidium sibi tollit, & contra morbum capitis & pectoris plurimum conferens operatur. Si autem digiti articulum læserit, scinde murem, & in viscera eius calida pedem accipitris imitte, & cum fasciola apta constringe, & si per hoc non sanabitur, dextram vngulam porci frange, & cum medulla pedem accipitris vnge per triduum, & sanabitur. Hæc igitur secundum experta Frederici Imperatoris dicta sunt à nobis de asturibus.

Capitulum

Capitulum 21. De regimine asturium secundum ex-
pert a Guillelmi.

Repetentes autem curam accipitrum, Guillelmi expertissimi in auibus rapacibus documenta ponemus. Dicit enim Guillelmus, quod asturem qui asma habet sic curabimus. Accipiantur gariofli cinamomum, zinziber, ciminum, piper, aloë, sal dragantum, olibanum de quolibet æqualiter in pondere, & fortiter terantur, & bene simul commisceantur & ponantur in tegula & calefiant ad ignem, & cum fistula de illo puluere proijciatur in naribus asturis insufflando, & de residuo pulueris eiusdem pone cum lardo bene claro aut cū butiro, ad quantitatem auellanz, & sit lardum bene tritum & pone ipsum per mixturam in palatum asturis, & postea fac eum stare ad solem, ita diu donec euomat potionem, & in sequenti detur ei comedere lardum idem ad quantitatem vnciæ & tertia die detur ei pullus columbinus rubeus, & quarta die fac eum balneari & curabitur. Contra tineas autem asturis accipe millefolium & tere, & mitte in acetum, & misce cum hoc sterco anseris, & sic commixta permaneant hæc tribus diebus, & demum pone totum hoc in panno lineo & exprime succum, & unge inde loca ubi tineas habet præcipuè in alis & in cauda. Demum tere ferruginem in puluerem & asperge in alis & cauda accipitris tribus vicibus de tertio in tertium diem. Quando autem astur pastum indigestum proijcit, accipe cinnamomum gariofilos cuminum & folia lauri æqualiter de omnibus, & tere & mitte in ollam nouam cum vino albo, & fac multum bulire, ita quod parum de vino remaneat. Sed caue ne per ebullitionem effundatur efferuens de olla, & quod remanet pone in panno lineo forti & extorque succum, & de eo quod expresseris, infunde in guttur asturis quantum sufficit, illa die nihil des ei comedere & sequenti die pista & cõtunde feniculos & exprime succum, & carnem quam daturus es ei intinge in succo illo.

Contra

Contra infirmitatem autem asturis quæ fellera vocatur, & est idem quod corrupti humoris repletio, accipe de vrsæ femine felle ad quantitatem ciceris & impone cordi gallinæ, & da ei comedere vsque ad nouem dies antequam ponas eum in mutam, deinde accipe sauinam, rosmarinum, saturegiam, bethonicam, mentam, & saluiam, de quolibet æqualiter, & de raphano plus parum & tere omnia simul, & impone parum mellis, & ieiuno dabis ei comedere inde, & postea mitte eum in mutam. Contra vitium autem lapidis asturis, accipe cinnamomum aloë gariofilos zucharum saxifragiam gerulam cicadam, æqualiter de omnibus, & omnia tere & distempera cum siropo rosaceo, & quando pascis asturem da sibi aliquid de isto cum carne ad quantitatem duarum fabarum, si accipiter projicit glanum siue crudam carnem indigestam, immitte in gulam eius lixiuiam de fermentis, & immitte in gulam eius vnum cochlear, & si se angustiauerit accipe sirupum violaceum & distempera sum aqua frigida, & mitte ex eo in guttere eius cochlearia tria, & postquam vomuerit, & ad se redierit, balneetur in aqua, & hoc fiat tempore bene claro. Multum autem valet si aliquantulum salgemine tritum cum lixiuia, potatur, quia bene mundificando facit vomere. Si autem asturguttam habeat, sumatur aurea alexandrina, quantum est media faba, vel sicut est media auellana, & detur sibi comedere, & die tertia detur sibi theriaca.

Si autem patitur aculeos siue puncturas acutas, accipe setas porcorum & minutatim incide, & sparsas super carnem asturi in cibum tribue, vsque ad nouem dies, & postea trifolium tere & succum eius carni infunde, & da comedere asturi. Si autem spumat in oculis, est melancholia ibi congregata, accipe siler montanum & semen cicute, & pone super carbones & suffumiga inde carnem, & pasc eum super talem ignem, vt fumus veniat in guttur, & in oculos ipsius, & in sequenti die da ei comedere aloë ad quantitatem dimidiæ fabæ, & viridem cicadam

sive locustam, quam si viridem inuenire non poteris, tere siccam apud te reseruatam & asperge super carnem, & da ei. Si autem ficum in ano patitur accipiter, accipe pinulas alarum, & desiccatas tere, & sparge super carnem, & de hoc ciba eum nouem vicibus. Si autem inordinatam astur sitim habeat, accipe liquiritiam Reubarbarum, Bethonicam, & syrupum violatum, & mitte in aquam, & sit ibi nocte vna, & mane da ei bibere quotidie de illo, vsq; ad octo dies quantum voluerit, & pasce eum de rana. Si autem fasciatus putetur astur, accipe fungum myrti, & olibanum, & aspakum, & palmam benedictam, & testæ impone omnia hæc, & exinde suffumiga asturem.

Si autem in capite æger sit accipiter, accipe raphanum, sauinam, rorem marinum, sambucum, saturegiam mentam, rutam, saluiam, bethonicam, & misce hæc omnia simul, & tere multum, & immitte mel, & da ei ex illo quantum est vna auellana. Si vis impinguare accipitrem, ciba eum frequenter carne anseris, & palumborū. Si pediculos habeat, mentam Romanam tere & distemperam cum vino acri, & iunge saxifragiam, & si clarum tempus est & calidum, balnea eum ex illo, si autem turbidum & frigidum, tolle auxugiam gallinæ, & impone in illa, & mitte super firmam nocte vna, & die sequenti vnge asturem in alis, & in dorso super caudam, quod si nascentias astur habeat, accipe sanguisugas, & mitte eas in nascentias, & sequenti die accipe lac arboris, quæ celsa siue ficus fatua dicitur, & vnge nascentias, & demum accipe radices herbæ quæ bracha lupi vocatur, & tere, & commisce cum lacte celsæ, & superpone nascentijs, & stet desuper tribus diebus, & tribus noctibus, & postea accipe radicem caudæ porci, & fac bullire, & da ei bibere mane & sero nouem diebus ad tres fabas. Si autem scabiosus sit accipiter, accipe auxugiam veterem, sulphur & argentum viuam, & tere simul cum aliquot gariofilis, & cinabomo, & ex eo vnge scabiem ad ignem vel in balneo.

Contra dolorem oculorum accipe zinziber aloë,
 olibanum æqualiter de omnibus, & tere fortiter inſimul,
 & mitte cum albo vino in bacinum, vbi ſit nocte vna, &
 poſtea mitte in oculos. Item accipe aloë & ceruſſam æ-
 qualiter, & de lardo veteri, rade de medio loco aliquan-
 tulum, & miſce omnia hæc, & mitte in oculos eius ſero,
 cum eundum eſt dormitum. Quod ſi crus fractum habes
 accipiter, maſtica olibanum bolum & ſerpentinam, & con-
 ſolidam, & fortiter tere, & miſce cum albumine oui, &
 diſtende totum ſuper pannum lineum, & dirige crus fra-
 ctum, & inuolue in panno dicto, & accipe pennam de ala
 vulturis, & ſcinde eam, & incanna ex ea crus fractum, &
 ſic remaneat quinq; diebus, & quinque noctibus. Iterum
 autem contra lapidem aſturis, & renum corruptionem
 accipe centrum galli partem vnam verbenæ partes duas,
 & tere, & exprime ſuccum, & da de eo tertiam partem
 cochlearis aſturi jeiuo, & ſic dimitte eum à mane vſq;
 ad meridiem, & ſi in anguſtia eſſe videatur, da ei cochle-
 aria tria de ſirupo violatio diſtemperato, vel de melle
 roſato, & quarta die accipe centinodiam, & centineruiam
 ſiue quinquineruiam, & tere, & accipe ſuccum quantum
 eſt pars tertia cochlearis vnius, & mitte eum in guttur
 aſturis jeiuni & curabitur. Si autem podagricus ſit, tere
 titimalum cum melle & aceto, & aliquantulo calcis &
 liga ſuper podagram, & poſtquam ſe mouerit, vnge aloë
 cum vino, & ſanabitur. Iterum autem contra felleram
 aſturis ſimul & tineam, accipe conchas teſtudinum & ra-
 munculos virides de jubis & ſaxifragiam, ſaluiam, & fo-
 lia oliuarum & ſpumam poledri iuuenis, quam proijcie
 de naribus cum naſcitur & fel anguillæ, & hæc omnia
 mitte in ollam nouam, & ad ignem torre donec inde fiat
 puluis, & in mane jeiuo aſturi, da inde comedere ad
 quantitatem dimidiæ auellanæ cum carne pauca, & ac-
 cipe reubarbarum & pone in aqua per diem vnum, & da
 ei bibere, & iſtud fac de tertio in tertium diem tribus
 vicibus.

Si autem guttam habeat astur, accipe anserem bene pinguem & aufer adipem eius, & accipe adipem vrsinum & vulpinū, & excoria cattum, & eiec'tis de corpore catti visceribus & ossibus carnem cum cultello diuide, & accipe parum ceræ, & de laudano & de xiloaloe, siue ligno aloë, & fac puluerem, & succum politariæ maioris & minoris, & incide cepam albam, & omnia simul misce & totum mitte in ventrem anseris, & consue foramen fortiter & dimitte per vnum diem, & deinde fac anserem bene assari, & sagimen quod inde decidit, collige in vas terreum aliquod, & de hoc vnguento vngatur locus guttosus, & valet omnibus guttosis animalibus. Item ad clarificandos oculos, accipe dulcem herbam aloë, & cerussam æqualiter, & contunde fortiter, & trita cum oleo, & auxugia mitte ad ignem in aliqua testa donec liquecat, & misce cum his quæ dicta sunt, & duc & commisce simul fortiter in vnum, & ex vnguento sic facto, mane & sero aliquid in oculos asturis impone, & clarificabuntur, hæc igitur secundum Guillelmum experta sunt de cura asturum.

*Capitulum 22. De regimine domesticationis accipitrorum,
& regimine aucupij.*

Cum autem cum asture vel niso aucupare volueris, caue prius quod bene ad manum assuetus sit accipiter sic domesticando, primo enim vincendus est die ac nocte, & tenendo eum cum zona valde longa, facias vt sæpius ad manum aduolet, & quotiens aduolauerit, semper aliquantulum ciba eum, vt assuescat manum beneficam. Cum autem eum aucupari volueris, primo die accipe columbam in alis depilatam, & fac eam sæpius sub pedibus eius effugere, & vt iterum capiat eam, & sic muta eam in melius volantem, & melius, & debiles & paruas aues commuta in fortiores & maiores, sicut etiam de aucupio falconum docuimus, quia quo ad hoc

vnus modus est in regimine omnium auium rapacium, quotiescunque autem accipit auem, dimittatur aliquid de sanguine eius bibere, cum prouocatione & sibilo aucupis, & in presentia canum, quia per hoc sumet audaciam, quando autem aucupari volueris dimittendo ad aues siluestres, primo ciba eum carne tenerz vaccz sine lingua porcina, quz in aceto vel vrina parum steterit, & mane sequenti valde diluculo vade ad aucupium. Causa tamen vt non iactes accipitrem si poteris nisi contra faciem auis, & fac vt accipiter auem videat, & non longe ab ea existat quando iactas eum. Dicunt tamen aliqui quod si carnē, vt dixi, in vrina jacere permittas, & in mane cibes eum de illa & in sero parum de ipsa carne des ei, & in sequenti mane cibes eum de lingua porcelli, & ad vesperum vadas in rapariam, in qua sunt aues, audaciam habebit ad magnas aues capiendas, quando vero videris accipitrem venationem videntem quidem sed non appetentem, scias quod nimis est pinguis & pennas de pinguedine spissas habere, eo quod nimis delicate nutritus sit. Subtrahas ergo ei partem de dieta consueta, & dabis ei leuem digestibilemque dietam, & in minori quantitate quam prius, quia ex fame naturali surget appetitus magnas aues capiendi, & in dieta quam sibi bonam esse probaueris conserua eum continue, & si nimis est pinguis, albo trito cum pulegio maceratur, & caue ne defectum & pusillanimum facias. Accipiter namque ab Augusto vsq; ad Nouembrem debet teneri mediocriter pinguis, & mediocriter macer non multū ad pinguedinem vel maciem declinans, sed à Nouembre in antea pinguis tenendus est & fortis, tenendus est etiam in die diu super mantim, & detur ei hora tertia coxa vna de carne pulli, & postea per horam permittatur in aqua balneari, & postea dimittatur ad solem donec pennas componat se perungendo, & postea ponatur in obscuro vsque ad vesperum, & superponatur pannus lineus super perticam super quam stat ne vngues laedat. & ab hora vesperarum teneat in manu.

vsq; ad primum somnum, & tunc superpone eum in per-
 tica panno supposito sicut prius, & accende coram eo lu-
 cernam per totam noctem, & circa diluculum asperge
 cum vino, & postea pone eum ad ignem clarum, & orto
 jam die vade ad aucupium, & si videris eum aues appe-
 tere proijce, sin autem, itera quod supra dixi, si vero ca-
 piat, ciba eum de præda quantum vult comedere. Ca-
 uendum autem multum est ab afflatu & morfu & laceratione
 vnguium accipitris & falconis, & omnium rapa-
 cium auium, & maxime quando hæc aues balneatæ fue-
 rint, & pennas rostro composuerint, quia pinguedo quæ-
 dam adheret rostro, quam accipiunt de cauda sua quæ est
 venenosa, pennas enim & pedes & anhelitum habent ve-
 nenosas aues istæ, & si tunc cum vngue vel rostro per-
 cussit poterit esse periculum, & iam quidam mortui
 sunt de huiusmodi vulnere percussionis. Attende au-
 tem quod si accipiter plus debito clamosus fuerit, cibe-
 tur vespertione pleno pipere trito. Si autem pipiat
 quasi pituitæ sit infirmitatis, & clamare voce sonora ne-
 quit, cum acu ærea nares eius perforabis, hæc igitur sunt
 quæ de falconum asturumque curis, de his qui tempore
 nostro in talibus studium posuerunt congregauimus, nec
 debet reputari superfluum quod deseruit delectationi
 multorum, qui in auibus cæli ludere consueuerunt. Ve
 autem perfectior sit nostra doctrina, etiam studia anti-
 quissimorum his adiungemus.

*Capitulum 23. De regimine infirmitatum omnium auium ra-
 pacium secundum Aquilam, Symachum &
 Theodotionem.*

Antiquissimorum quidem Aquilæ & Symachi &
 Theodotionis extant Epistolæ ad Ptolomæum Phi-
 lometorem Regem Ægypti, in quibus de moribus
 & medicinis auium rapacium in communi ista doctrina
 continetur, si enim infirmitas est in capite, & sit quidem
 in oculis, vngæ sæpius de oleo oliuæ, & præcipue si dolor
 est in

est in exterioribus oculi Si autem albugo crescit in interiori oculi auis, injice puluerem seminis fœniculi cum lacte mulieris masculum parientis Si autem per sehectutem caligat oculus, habili argenteo vel aureo instrumeto coque eum super nares, vbi finciput in medio oculo medio rostri coniungitur, si clausas nares habuerit, per fistulam paruz pēnz in uiffa in nares eius puluerem pipere & saxifragiæ, si reuma in capite habuerit, rūtā pone iuxta nares eius, & carnem quam comedet in succo rutæ intinge. Item allium contusum cum vino per nares ei immitte, & in loco obscuro resideat tota die, & eum per vnum diem ieiunare permittite, si pituitam quam quidam pipiam vocant, habuerit, accipe linguam eius aperto ore, & frica eam cum puluere saxifragiæ melle condito, & si dicta non profunt, dabis ei comedere butirum, puluis etiam densitate caulis ad idem valet, si vltra modum clamorosus fuerit, accipe vespertilionem, & piperitum intus pone & da ei comedere, si vespertilio non habetur, alia auis eodem modo cum pipere parata, ad idem non oberit. Nimijs tamen clamor aut infirmitatis aut defectus ex macie, aut quia oua generata in se habeat, est signum, si fastidium habuerit sorices viuas da ei, vel catellum in proximo natum antequam videat. Si cibum frequenter non alteratum euomit, accipe scamoneam ad pondus quartæ partis eboli, & tantundem cumini, & tritis illis asperge eorum puluere carnes porcinas pingues, & da in cibum. Si vero dictam carnem comedere non potest, tolle albuginem oui, & in ea pone dictum puluerem, & ori eius injice. Item si cibum ejicit, accipe oua cruda, & frange in lac caprinum, & totum decoque, & da ei ter ad comedendum, & sanabitur, si mutare pennas incipit, exime eum ab omni labore, & abundanter ciba eum, quoties enim esurierit, tot signa fracturarum vel fracturas habebit in pennis. Valent etiam tunc auibus glebæ virides substratæ pedibus, & solis calor cum æstu moderato. Nimijs autem æstus nocet. Si febres ha-

buerit da ei ter vel quater succum arthemisie cum carne gallinz. Item ad idem liga ei dextrum crus fortiter, & tunc in medio cruris vena apparebit, & illam subtiliter minue. In crure enim talium auium quatuor sunt vena, vna quidem anterieus, altera inferius, & tertia exterius magis, quarta posterius super vnguem maiorem. Signa autem febris sunt si alæ dependent, & caput demissum teneat, & si vomit quasi frigore teneatur, si cibus absque causa eum fastidit, aut auide quidem sumit, sed male glutiendo inducit. Si autem valde sitit, accipe puluerem caulis liuistici, & carnem de aneto & fœniculo, & coque cum vino, & commisce cum hoc cochlear vnum mellis, & colaturam huius da ei bibere vel injice ori eius, & si bibere noluerit, vna die da ei carnem linitam melle, secunda die carnem linitam oleo rosaceo frigido. Si felle laborat, quam infirmitatem felleram supra vocauimus, puluerem florum salicis siue genumarum salicis sparge super cibum eius, si ei alæ præter febrem pependent, sume sanguinem, & adipem anseris, & de sanguine frica alas eius ad solem. De adipe autem ciba eum, vel melius sume oleum laurinum, & ex illo alis leuatis assellas eius vnge, & felle porci perunge alas ipsius, & succo verbenæ vel saluiæ cibum eius intinge, si alas guttosas habuerit, hederam terrestrem in aqua coque, & folia illa cocta, & bene contusa alis eius iuxta latera circumliga, & cibum eius in eadem aqua tinge, si pedes guttosos habet, vel si tineæ comedant eius pennas, carnes hircinas comedat in aceto tinctas, & alas eius aceto calido, & oleo laurino sæpius perfrica, si pennam fractam sine dolore extrahere volueris, accipe sanguinem animalis paruuli quod gruile vocatur, vel sanguinem muris, & vnge locum pennæ, & cadet, & postea ex melle ad magnam spissitudinem decocto, fac virgulam ad modum foraminis in quo stetit penna, & injice foramini, & exhibit noua penna. Item succo herbæ papaueris calido, perunge pennas eius, & intinge cibum eius eidem succo, si os fra-

ctum

Etum habuerit in crure vel in alia parte, aloë calidum
 superliga, & dimitte vna die & vna nocte. Item stercoſ
 galli in aceto decoctum superliga, si inquieta sit auis in
 pertica, vel super manum, miriam in aqua decoque, &
 ex ipsa aqua asperge corpus eius, & intinge cibum eius
 in ea vsq; nouies, si infirmitate quæ rampa dicitur infir-
 matur, succo Arthemisiz cibus eius intingatur. Item san-
 guine agni calido pedes eius perfrica, vel vino tepido in
 quo decoctę sint vrticę, & in ipso vino cibū eius intinge, si
 stercoreare non potest, fel galli da ei comedere, vel testu-
 dines albas decoctas. Si nimium laxatur, modicum de
 succo iusquiami da ei bibere, & intinge cibum eius, si pe-
 diculos habet, accipe succum absinthij, vel aquam co-
 ctam cum absinthio, & eo ad solem sedente, infunde pla-
 mas eius & corpus eius per totum. Si lapidem in ventre
 habuerit, da ei pinguedinem auxugiæ comedere & buti-
 rum, ad idem aloë herbam cum puluere apij inuolunt
 cordibus paruarum auium, & da ei comedere, sic igitur
 ex his similiter poteris de omniū auium medicina com-
 mode facere. Si autem vis habere pinguem, da ei de
 masculi carne bonis vel porci, si vero vis habere mascu-
 da ei gallinas iuuenes aqua madefactas, si vero vis habere
 re temperatum, da ei gallinas veteres, si vis vt expeditus
 sit ad aucupandum, stude vt facias ei bonam vesitam
 gutturis, & include in tenebris accensa ibi lucerna mo-
 dica, & aucupa altera diebus: si vis vt leporem aucu-
 niculum capiat, oportet vt doceas eum in iuuentute, &
 gyros liga in cruribus eius prope pedes, interiecto spa-
 tio vnus palmę, quæ sit distantia cruris à crure, quia
 tunc sine læsione capiet. Syluestris accipiter citius man-
 suescit, si multum ieiunare permittatur, & si iuuenis est
 auis, nec nimis calidus, nec nimis frigidus sit locus in
 quo custoditur, & in loco in quo stat, habeat semper her-
 bam mentam & saluiam, & si est accipiter, in primis in
 folijs salicis, demum super lignum salicis aut abietis
 semper sedeat, & si sæpe sanguinem auium hiberit, vi-

res sumunt, & audaciam, & affectum capiendi, nec negetur ei balneum aquæ frigidæ quando nutritur, nec multum coniungantur alæ eius nisi pendeant.

Capitulum 24. De alijs duobus generibus falconum, & de locis habitationis eorum, & de definitione accipitrum.

HÆc de falconum etiam & accipitrum natura, & regimine à nobis dicta sunt secundum dicta antiquorum. Sed præter omnia quæ inducta sunt falconum genera. Duo adhuc apud nos genera falconum inueniuntur, quorum vnum est falco lapidaris, & alterum falco, qui vocatur arborealis, primum quidem mediæ quantitatis est, & vigoris inter peregrinum & gibbosum, & inuenitur in alpium rupibus, & est eiusdem nutritiæ cum peregrino. Alterum autem medium est quantitate & vigore inter gibbosum & mirle, eiusdem cum mirle regiminis existens, & ideo de his in speciali tractare non oportet. Præter ea autem quæ dicta sunt, forte multa apud diuersos inueniuntur falconum genera, sed ex his quæ dicta sunt sufficienter de natura, & nutritura omnium habetur coniecturalis scientia. Sed hic adhuc adjiciendum, quod sicut in antehabitis libris dictum est, omne animal abundat in loco vbi sui proprii & conuenientis cibi est abundantia, propter quod cum huiusmodi auium cibo proprius sit venatio auium, abundabunt in locis vbi abundant aues quas venantur. Istæ autem aues sunt aquaticæ, quia & illæ tardiores sunt ad volatum, & carnosiores ad escam, & ideo versus Septentrionem accipitrum & falconum, & aquilarum abundant genera, sicut est in Britannia, Suetia, Liuonia, & finitimæ his regiones Sclauorum, Prutenorum & Rutenorum, & quia frigidæ sunt istæ regiones, & in terris frigidis sint corpora magna, & ex multo sanguine multi spiritus, & ex his audacia & feritas vt in scientia de natura locorum habitabilium determinatum est. Idco etiam aues rapaces
in di-

in dictis regionibus magnæ sunt, & cum audacia ferocitate magnam habentes. In alijs autem locis proportionalem etiam accipiunt vigorem & quantitatem & audaciam, nec est silentio prætereundum, quod Aquila & Theodotion & Symachus socius eorum, omnia accipitrum genera falcones vocant, & ea quatuor esse generum determinant, asturem primæ quantitatis ponentes in genere primo, & asturem minorem quem tercellinum vocamus, ponentes in genere secundo, & nisum in genere tertio, & muscetum in genere quarto, quibus nullo modo consentiendum esse, probat, quod tercellinus inuenitur in nido accipitris, & muscetus in nido nisi reperitur, & ideo & accipiter & tercellinus non differunt nisi sexu, non specie, quia accipiter est fœmina, & tercellinus est masculus, & eundem modum differentiz habent nisus, & muscetus, nisus enim est fœmina, & muscetus est masculus. Hæc igitur de rapacibus auibus dicta sunt.



Ne iste

Ne istæ etiam vacarent pagellæ, fabulam de initio rei accipitrariæ, eleganter excogitatam, ex secundo libro Hieracosophiæ, incerti auctoris, visum subiungere.

Nunc unde accipiri hæc adeo contraria tamq̃
 Pugnantes sortita modos, vi insua fluxit:
 Ales ut altitium in gentem implacabili hostis
 Bellagerat, nutu tamen idem obseruet herileis,
 Et culu humano domitus mansuescat & arte,
 Dicite Perides, primaq̃ ab origine causas
 Indagate rei, seriemque reuoluite facti.
 Perfidiam Troium, & spretos vlturus honores
 Neptunus structis pactos pro mœnibus vrbus,
 Per Phrygios late spargebat brachia campos:
 Nec mora, sternuntur segetes, labor irritus anni
 Spēsque iacent hominum, Simois iam deserit alueum
 Auctior, & Xantho excedens sua flumina miscet.
 Vix summi nemorosi Ida iuga fluctibus exstant
 Admittuntq̃ greges, medus natat Ilioundis,
 Tum cuiusq̃ rei obsessos vrgebat egestas,
 Summaq̃ frumenti penuria, non tamen illi
 Væcordeis posuere animos, oracula diuim
 Scitati, aut Lycias fortes, Phibumq̃, rogauerunt,
 Sed quasi non diuim iussu, non calidus esset
 Illa immissa lues, vicina non oppida mittunt,
 Qui Cererem coemant rebus satamem in arctis,
 Auxiliumq̃ petant, Ceteq̃ immantia contra,
 In caelum vastos Cete eructantia nimbos
 (Is miseris cumulus diuina accesserat ira)
 Expediant classem, & socios horrentur ad arma.
 Illa tempestate Hierax rex nomine dictus
 Pollebat late imperio, iustissimus vnus
 Qui fuit, atque omne inter tota Asidete terra
 Diuini cultus & seruantissimus æque.
 Hic Mariandynos magna dititione tenebat,

Cauco-

Cauconasq; feros: huic tum piscosa Synope,
 Atque Elatea mari Scythico circumsona, & olim
 Mileti fundata à ciuibus Heraclea
 Parebant, quantuoq; patet sinus illius ora.
 Huc oratores delecti sorte per urbem,
 Tempora præcincti ramis pacalis oliuae,
 Mittuntur, qui supplicibus mastuq; quereli,
 Principis inflectant sensus, pacemq; reportent,
 Et victum, armatamq; petant in prelia classem.
 Acceptus ille hospitio, Quod poscitis (inquit)
 Hoc dabitur pietas iubet id mea, quippe laborum
 Haud alium, tantarum & opum, lateq; potentis
 Imperij fructum duco & laudabile lucrum,
 Quam bene de cunctis in vita posse mereri,
 Alloquiog; inopes dignari, opibusq; iuuare.
 Nulla mora est, vestris quamprimum edicite leti
 Ciuibus, arma, viros, duce me, classemq; paratam
 Expectent vix desierat, iam classis in alto est,
 Armatiq; foros complent iam remige crebro
 Inversa Euxidii spumant vada salsa profundi.
 Iamq; in conspectu Tenedos, iam Troia pubes
 Prospectans longe exultat, cum sanus ab alto,
 Aegei quo rege tremis circumflua Ponti
 Regia, Neptunus furiali incanduit aestu:
 Et, quis (ait) nostras posthac procumbat ad aras
 Sacra ferens, cumulet ve p̄sultaria donis,
 Si consulta deum vindicta eluditur arte
 Humana, & scelus est mortali vindice tutum
 Alcides potuit monstro eripuisse biformi
 Hesione, fuit hoc illi per numina prouum.
 Et sua virtutem patriam fortuna secuta est.
 At non iste, opibus qui nil nisi fudit auris,
 Non feret hoc impune Hierax, resperferit iras
 Sanguine taurorum, & sacros adoleuerit igneis,
 Haec tunc in superos pius: at nunc impius esse
 Desinat, insanæq; luat periuria gentis.

Haud

Haud plura iratus, picea caligine calans
 Conditur, & Zephyrus aduersi flantibus Euri
 Insurgunt, gelidamq; Notus concurrat in Arcton,
 Et vastos tollunt connixi ad sidera fluctus:
 Ex oculisq; procul Troium spes classis amica
 Eripiunt, resonant undae, & caua littora plangunt,
 Dumq; insperato turbatum marmure pontum,
 Attonitus ductor puppi despectat ab alta,
 Et frustra meliora deos sedet omina poscens,
 Ecce repentina circumstant undique celo
 Immisse volucreis, & diris ethera rumpunt
 Cantibus, hic Hierax primum temerarius arma
 Cingitur, & stricto crocitantum auertere nubem
 Molitur ferro & flammis, ille acrius instant
 Conantemq; urgent magis, & magis vsque fatigant:
 Tamq; illisa vadis classis, praetoriaq; ipsa
 Aegaeum fractis tabulis rimosa bibebat:
 Indoluit casu summi regnator Olympi,
 Fraternusq; odij finem dedit, atque seueras
 Parcarum leges, & ineluctabile faedus
 Fatorum elusit: neue immortalis auaro
 Mersa mari, mens terrestri cum mole periret,
 Fluctibus ereptum pernicious extulit alio,
 Et pedibus teneris unguentis confixit acutos:
 Vltoremq; animum, & memorem pietatis auita
 Addidit; hinc & adhuc odio genus omne volucrum
 Saeuus habet, veteresq; etiam nunc improbus iras
 Seruat: at illa fides, desideriumq; iuuandi
 Humanum genus, & pietas generosa remansit.
 Hinc hominum ad voces exultat, & arte magistra
 Accipiter parat monitu, ac iussa capepsit.

F I N I S.



284

